Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Daniel Lagus Alexandrus Rungius

Commentationis Quadripartitae, Super Epistolam Ad Galatas Exhibentis 1. Textus Analysin, & Sensum, 2. Orthodoxum Usum, 3. Heterodoxum Abusum, 4. Harmonicu[m] Oraculoru[m] Concentum, Et in Academiae Gryphicae Auditorio Maximo, Publice quondam praelectae, Caput Primum

Gryphiswaldiae: Doischerus, 1663

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78807136X

Druck Freier Zugang



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78807136X/phys_0001
DFG

a – c
a – c
a – c
Dissertt. [illegible]
A G A – g aa aa 1-3
448 p
F.C
1387 1.2.

F.C – 1387 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn78807136X/phys_0002
DFG

24

COMMENTATIONIS QUADRIPARTITÆ, Super EPISTOLAM AD GALATAS,

EXHIBENTIS

1. Textus Analysin, & Sensum,
2. Orthodoxum Usum,
3. Heterodoxum Abusum,
4. Harmonicũ Oraculorũ Concentum,

Et in Academiæ Gryphicæ Auditorio Maximo,
Publicè quondam prælectæ,

CAPUT PRIMUM,

Divinâ adspirante Gratiâ,
Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ,
Publico Examini subjectum,
à

DANIELE LAGO, S.S. Theol. D.
& Profess. Regio,
RESPONDENTE,
ALEXANDRO RUNGIO,
Rugiano, S. S. Theol. & Phil. Stud.

Ad diem 12. Martii horis matutinis. ANNO M. DC. LXIII.

GRYPHISWALDIÆ,
Typis MATTHÆI DOISCHERI, *Acad. Typographi.*

Fc — 1387 l. 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78807136X/phys_0003
DFG

יהוה

CAPUT PRIMUM tribus continetur partibus, & ingressus quidem exhibet, præter titulum, solitam salutationem; progressus, gravissimam increpationem; egressus, historicam narrationem. Titulus partim *Causam efficientem* Epistolæ designat, ejusq; *socios*, partim *Subjectum Tractationis*. *Efficiens* (*ministerialis*, principalem enim non minus hæc epistola, quàm universa scriptura Canonica ipsum agnoscit Spiritum S. cui amanuensium quasi operam sancti DEI Viri præstiterunt. II. Pet. I. 21.) nomine gaudet *Pauli*, prisci ævi Romanis perquam freqventi, indeq; sibi etiam gente quidem Judæo, sed natione tamen Tarsensi, Act. XXII. 3. à conversione impositio, primùm, ut videtur, à familia *Sergii Pauli*, Proconsulis Cypri, jam Religionis Christianæ mysteriis initiati Act. XIII. 6. 7. Cum antea, quando adhuc inter Syros versabatur & Judæos, *Saul* appellatus fuisset, voce Hebræa Act. VII. 59. & IX. 1. procul dubio statim in circumcisione, à parentibus; veluti hodie Christianorum liberi, die lustrico, suis nominibus, ad arbitrium parentum, insigniuntur. Etymologiam *Hieronymus* affert allusivam in comment. sup. Epist. ad Philem. dum eam derivat ab Hebræo *Pala*, ut *Paulus* idem ipsi notet, quod *Pele*, h. e. admirabilem. Aptius verò nomen hoc, si originem spectes, planè Latinum, *Augustinus* deducit, à *Paulo*, seu pauco & modico in Ps. LXXII. accommodans huc illud Apostoli desemet ipso pronunciatum, 1. Cor. XV. 9. *Minimus sum Apostolorum*. Porrò describitur

hic *Paulus* ab *adjuncto*, vel *officio*, sc. dignitate in N. T. suprema, v. 1. παῦλος ἀπόστολος, h. e. Legatus Dei, non abs re, ut scilicet propter autoritatem legantis, omnia quæ proponit suo rite pretio æstimentur, legentesq; ad assensum magis obligentur. Eumq; ob finem unà exprimit vocationis modum, non legitimum saltem, sed prorsus quoq; extraordinarium, & Apostolo dignum, 1. καθ' ἄρσιν: οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων (cæco favore, illicitâq;, gratiâ hominum, sive superioris, sive inferioris subsellii,) οὐδὲ δι' ἀνθρώπου (ψιλῶς, jure ac vocandi potestate pollentis,) tanquam unus ex multis. 2. κατὰ θέσιν: ἀλλὰ (ἀμέσως) διὰ ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ θεοῦ πατρὸς, τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Christus enim post gloriosam ascensionem in cœlos, inter alia charismata, etiam constitutionem Apostolorum, hominum bono, nactus, Eph. IV. 2. αὐτοπροσώπως, καὶ αὐτοφώνως ad Regnum gratiæ, simul & Apostolatum, *Paulum* vocavit Act. IX. 6. 15. Conjungit autem *Deum Patrem*, ob essentiæ divinæ, indeq; promanantium operum ad extra identitatem. Unde Salvator Joh. XIV. 25. *Sermo, quem audivistis, non est meus* (tantùm,) *sed* (simul) *patris, qui misit me.* Isq; describitur ab insigni *effectu*, resuscitatione CHRISTI à mortuis, ad refricandam memoriam synopseos, quâ fidem Christianam complectitur Rom. IV. 25. *Christus propter peccata nostra mortuus est, & propter justitiam nostram resurrexit.* *Socii*, quos in consortium hujus negoty adsciscit, laudantur quotquot eo temporis articulo de cætu Ecclesiæ Romanæ fuerunt, v. 2. καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἀδελφοὶ, utpote quibꝰ ad judicii accuratissimi bilancẽ prius appendenda singula commisit, quàm ad exteros mitterentur, præcisurꝰ Pseudapostolis, vel in scirpo nodum, in nive atramentum quærentibus, omnem calumniandi ansã, ac si *Paulus* superbiæ typho inflatus

flatus omnia sibi arrogaret, consensus fidelium securus. Sicuti sibi associavit παραχάτην nunc *Sostbenem* I. Cor. I. 1. nunc *Timotheum* II. Cor. I. nunc *Sylvanum*, & Timotheum, in utraq; ad Thessal. I. per κοινοποίησιν, modestiæ singularis notam, imò & in ὁμοψηφίας tesseram. *Subiectum* præbent *Ecclesiæ Galatiæ*: τῆς ἐκκλησίαις τῆς γαλατίας, non unius alicujus urbis, sed integræ provinciæ in *Asia* minori, intra Bithyniam & Cappadociam sitæ, quam insederunt olim *Galli*, unà cum Cimbris. Quamobrem etiam *Gallograecia* nuncupatur. Nimirum cum *Celtæ* adeò multiplicarentur, ut capax omnium genitale solum non esset, emiserunt trecenta millia incolarum, colonias ductum, novasq; sedes quæsitum. Quorum alii in Italiam, alii in Pannoniam, alii, Duce *Brenno*, in Græciam, alii, autore *Belgio*, in Macedoniam irruperunt. Hi verò cum vagâ geometriâ aliquandiu oberrassent, & stipendia sub regibus Asiæ meruissent, postea pedem fixerunt in Asiâ, circa fluvium Alim. *Strab.* L. 12. *Just.* L. 25. *Plin.* L. 5. c. 32. Tandem cum *Antiocho* magno, Regi Syriæ, adversus Romanos bellum gerenti, auxiliatrices manus attulissent, Consul *Manlius*, anno ante natum Christum 187. novæ expeditionis occasionem hinc nactus, eos debellavit ac triumphavit. Ex eo tempore igitur Romanis paruerunt, à *Pompejo*, post bellum Mithiridaticum, Tetrachis divisi, referente *Appiano* in Mithridaticis, apud quem plura Vid. Atq; hic sementim doctrinæ cœlestis olim fecerat *Paulus*, sed dirum deinde in modum corruptam: velut hodie proh polor! universam ferè Asiam teterrimo errorum diluvio Mahomethanismus inundavit. Sortita verò *Galatia* appellationem hanc fuit παρὰ τὸ γάλακ[illegible], à colore incolarum, necfusco, qualis Italorum, & Hispanorum, nec nigro, qualis Asiaticorum reliquorum,

sed lacteo, & candido. Solita *salutationis formula* exprimit duo, 1. est *Objectum*, seu optatum beneficium, ℣. 3. χάρις ὑμῖν, h. e. gratuitus Dei favor, & benevolentia, *Galatis*, ob turpissimæ ἀποστασίας crimen, summopere necessaria; καὶ εἰρήνη, largissimus quorumcunq; donorum ac bonorum cumulus, ex indole sermonis Hebræi, præcipuè tranquillitas conscientiæ, reconciliationis nostræ cum Deo fructus, Rom. V. 1. *Justificati fide, pacem habemus cum Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum.* 2. *principium:* ἀπὸ θεοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ. Cujus officium mediatorium vivis depingitur coloribus, tum ratione *Causæ Impulsivæ*, tum *finalis*. *Impulsiva* est partim commune S. S. Trinitatis decretum, de salvandis hominibus per filium: κατὰ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν: partim ingens πρόθυμια & promptitudo Salvatoris, τοῦ δόντος ἑαυτὸν ℣. 4. tanquam *principem pacis* Es. IX. 6. idq; ultroneâ voluntate Joh. X, 8. *Finis* duplex, prior *peccatorum expiatio:* περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, pro peccatis non redimendis, ut nugatur *Socinus*, sed tollendis, & satisfactione plenissimâ delendis. Est enim Christus ἱλασμὸς pro *peccatis nostris* I. Joh. II. 2. ἱλαστήριον *in sanguine suo* Rom. III. 25. ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. I. Tim. II. 6. *portans peccata nostra in corpore suo super lignum* I. Pet. II. 24. מוסר שלומנו עליו *& livore ejus sanati sumus* Es. LIII, 5. Posterior *efficax liberatio:* ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος αἰῶνος πονηροῦ, â maculosâ cohorte obscurorum terræ filiorum, ut non amplius simus de mundo immundo, sed selecti ex illo, Joh. XV. 19. exempti tyrannidi Satanæ, qui in mundo Dominium usurpat. Cujus immensi beneficii consideratione excitatus Apostolus, desinere vult proœmium in doxologia ℣. 5. ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. *Objurgatio* evolvenda offert V. *Objectum*, hujus *adjunctum*, duplicem

cem *terminum*, (*à quo* & *ad quem*,) *consequens*, seductorum supplicium, & *tacitæ objectionis elenchum*. *Objectum* est Apostasia *Galatarum*, quam μετάθεσιν Apostolus vocat, seu translationem ex uno loco in alterum v. 6. θαυμάζω (significans, aliquid novi & præter expectationem accidisse, sicuti mirabantur parentes narrata de puero Jesu Luc. II. 33. Turbæ, miracula Christi, Marc. I. 27. incolæ orbis, potentiam bestiæ Apoc. XIII. 3.) ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ, εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον: Sumptâ Metaphorâ à plantis, quæ translocari solent ex uno fundo in alterum, at non sine damno, si fundus fœcundus & fertilis permutetur cum sterili & sylvestri; & forsan per allusionem ad nomen Galatarum, ac Hebræum גלל quod est volutari, rotari; quasi fuisset dictum: Non caret omine nomen vestrum, ô Galatæ, sed quod auditis, etiam estis, non πλάγιοι, non stabiles, & constantes; verum supra modum mobiles, atq; vel Vertumno, Protheo, ac Chamæleonte mutabiliores. Quamvis passivâ voce μετατίθεσθε culpa maximam partem seductoribus, non seductis imputetur: tempore autem præsenti adsignificetur, seductionem adhuc esse, infieri, nondum plenè peractam; nec abjici spem, futurum brevi, ut ad se redeant *Galatæ*, uti cap. v. 19. inquit: *Ego confido de vobis, vos nihil aliud sensuros.* *Adjunctum* ἀπιστίας est celeritas summa; siquidem obnoxiam huic tanto crimini cervicē *Galatæ* reddiderant, cum aures illorum Apostoli doctrina adhuc quasi personaret, â quâ aliàs alii non prius se dimoveri patiuntur, quàm assiduis impostorum machinationibus tandem defatigati fidem faciant adagio: πολλαῖς πληγαῖς δρὺς στρὰ καταδαμάζεται. *Terminus* â quo duplex est, 1. *Gratia vocantis Dei*, ad quem ex ingratitudine hac, & defectione maxima injuria redundat

dundat. 2. *Verum Evangelium*, ante prædicatum, & ita numeris omnibus absolutum & perfectum, ut additamentum nullum recipiat. Terminus *Ad Quem* est, aliud Evangelium, sc. φαινομένως, h.e. Pseudevangelium Pseudapostolorum, qui mixturam legis & evangelii, in negotio justificationis, moliebantur, eamq; inter fidem & opera partiebantur. In cujus pestilentissimæ hæreseos, & cum doctrinâ apostolicâ adversâ fronte pugnantis refutatione, Epistola hæc potissimũ versatur. Quamobrem mox addit v. 7. ἐκ ἔστιν ἄλλο (οὕτως) εἰμὴ τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς, καὶ θέλοντες μεταστρέψαι (invertere, ut à tergo posita opera devolvantur, turbato ordine, in frontem, nec sequantur amplius justificatum, sed præcedant justificationem,) τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ. Addit *Syrus*: *Sed prout sunt aliqui, illud*, (evangelium) *est*, q. d. quales sunt doctores, videl. apostatæ, judaizantes, mendaces, fallaces, tales est eorum evangelium, sc. apostaticum, judaizans, mendax & fallax. Testatam adhæc efficit tum amissi boni dignitatem, tum contracti mali atrocitatem, denunciatum seductoribus *supplicium*, & severissimum *anathematis* fulmen, quod in perturbatores ejusmodi ejaculatur v. 8. ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς, ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω. Sunt autem propriè *anathemata Herodoto* ἀνακείμενα, donaria, in delubris idolorum suspensa, vel collocata, indeq; Deo abominabilia. Per metaphoram igitur anathemata dicuntur homines, à consortio Christi & ecclesiæ remoti, & consequenter diris quibusq; ac infaustis ominibus devovendi. Ne verò Apostolus videretur nimio affectuum æstu & æstro percitus, in justo duriora verba erupisse, iterat effatum: v. g. ὡς προειρήκαμεν, καὶ ἄρτι πάλιν λέγω, εἴ τις ὑμῖν εὐαγγελίζεται, παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω. Imò ficto casu impossibili, rei certitudinem ostendit, per argumentum pro-

procedens à minus probabili ad illud, quod magis est probabile: *Si vel angelum diversi aut adversi evangelii præconem justissima anathematis pœna maneat, multò magis hanc promerebuntur corruptores evangelica veritatis pseudapostoli. At verum prius. Ergo & posterius.* Quo pacto severitatem quoq; reprehensionis rursus humanitatis aliquo condimento temperat, & culpam præcipuam in seductores rejicit. Tandem subjicit *objectionis tacitæ elenchum*, quasi ad nutum palatumq: hominum doctrinam suam composuisset, & auræ popularis aucupio, excutere cervicibus suis jugum Mosaicarum legum Christianos juberet, v. 30. ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω, ἢ τὸν θεόν, h.e. num humana svadeo, an divina? sive, fidem hominibus potius adhibendam, quàm DEO? phrasi scripturæ non inusitatâ, ut Act. XXVII. 23. *Paulus exponebat auditoribus regnum Dei,* πείθων αὐτοὺς τὰ περὶ τοῦ ἰησοῦ & II. Cor. V. 11. *scientes timorem Domini,* ἀνθρώπους πείθομεν, ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; Syllogismus foret: *Quicunq; se, suamq; doctrinam probare annititur hominibus, is non est approbandus. Paulus se, suamq; doctrinam probare annititur hominibus. Ergo non est approbandus.* At respondet Apostolus negando minorem, ejusq; falsitatem demonstrat ipso transitu ad castra Christianorum, & susceptione Apostolatus, cum pergit: εἰ γὰρ ἔτι ἀνθρώποις ἤρεσκον, χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην: Cum favorem procerum, gentisq; universæ tueri, atq; adeò felicitatis secularis retinere constantiam non potuisset facilius, quàm si in judaismo consenuisset, repudiato Evangelii ministerio. *Narratio, historica* pariter & *apologetica*, incipiens v. 11. pro stabiliendâ divinâ prorsus origine tùm vocationis, tum doctrinæ Paulinæ: γνωρίζω γὰρ ὑμῖν, ἀδελφοὶ, τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ, ὅτι οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον (*Syrus: non est ab homine,*) οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ, οὔτε ἐδιδάχθην, ἀλλὰ δι'

δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ; exponit tria, vocationis προηγέμενα, πεαχθέντα, & παρεπόμενα. Προηγέμενα sunt, acerrima Ecclesiæ persecutio, & conatus ferocissimus illam penitus extirpandi, profectus ex insano quodam zelo, ἀκαθ' ἐπίγνωσιν Rom. X. 2. Traditionum πατροπαραδότων, quo ita flagravit Paulus totus, ut palmam ulli cedere nefas putarit, v. 13. ἠκούσατε γὰρ τὴν ἐμὴν ἀναστροφήν ποτε ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ, ὅτι καθ' ὑπερβολὴν ἐδίωκον τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐπόρθουν αὐτήν, καὶ προέκοπτον ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ ὑπὲρ πολλοὺς συνηλικιώτας ἐν τῷ γένει μου, περισσοτέρως ζηλωτὴς ὑπάρχων τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων. Digitum intendens ad Pharisæos, rigidissimos hujusmodi rituum exactores Matt. V, 43. XV, 2. XXIII, 4. quippe de quorum ordine etiam se olim fuisse *Paulus* attestatur Act. XXIII, 6. conf. Act. IX, 12. *Animæ virtutis capaces ac fertiles præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimùm accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic ille animi motus, quo Moses peregrinum fratrem â cive improbo injuriam perpetientem inultum esse non pertulit, non servato ordine potestatis, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat. Sic cum Saulum Ecclesiam persequentem DEUS de cœlo vocavit, prostravit, erexit, implicuit, tanquam percussit, amputavit, inseruit, fœcundavit: Illa namq; Pauli sævitia, secundum æmulationem paternarum traditionum, persequebatur Ecclesiam, putans officium DEO se facere, tanquam silvestre erat vitium, sed fertilitatis indicium*, scribit *Augustinus* XXII. contra Faustum c. 70. Atq; hinc simul resultat argumentum I. pro *Paulo*, contra *Galatas: Quicunque ex immani Ecclesiæ persecutore repentè fuit factus ejusdem Doctor, hujus merè divina est vocatio, divina itidem, minimèq; deserenda doctrina. Paulus ex immani persecutore repente fuit factus ejusdem Doctor. E.* Τῶν πεαχθέντων notat I. *Causam principalem*, DEUM, v. 15. ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ Θεὸς, ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου. DEUS enim

enim fuit, qui ἀμέσως vocavit & illuminavit *Paulum*, ſtupendo prorſus modo, ſingulariq; beneficio, cum nihil minus cogitaret. Eremitam impetraſſe notitiam Scripturæ â DEO, & ſervum qvendam barbarum, literarum rudem, ſubitò ornatum fuiſſe dono legendi, ut oblatum librum legerit expeditè, idem *Auguſtinus* memorat. At quantò altiori loco poſita eſt illuſtriſsima revelatio Evangelii, quam hîc *Paulus* celebrat διδαχὴν? 2. προηγημένην, εὐδοκίαν, & gratiam immenſam, de quâ additur: καὶ καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ; quæ dum ἐξ ἀπαλῶν ὀνύχων, imò æterno conſilio *Paulum* Apoſtolatui deſtinavit, ad exemplum *Jeremiæ* c. I. 5. omne operis humani meritum excludit Rom. XI. 6. 3. *Finalem*, prædicationem Filii DEI, & quidem ὡς δεῖ πλεῖον inter gentes v. 16. ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοὶ (h. e. δι' ἐμοῦ, per Hebraiſmum particulâ ἐν poſitâ pro διὰ) ἵνα εὐαγγελίζωμαι αὐτὸν ἐν τοῖς ἔθνεσιν. Quod ſolenniter promulgatum legimus Act. XIII. 47. Unde *gentium Apoſtolus* audit I. Tim. II. 7. & λειτουργὸς JESU CHRISTI *inter gentes*, Rom. XV. 16. παρεπόμενα quædam ſunt *commiſſionis*, quædam *omiſſionis*. Omiſſa 1. *carnalis conſultatio* v. 16. εὐθέως οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι; tum *ſocia*, cum conſanguineis, ſuſceptionē Apoſtolatus procul dubio diſſvaſuris, tum *ſolitaria*, ſecum ipſo, ut carnali adhuc & per reliquias veteris Adami corrupto, eſſetne vox cœlitùs audita verè divina, an impoſtura Satanæ? deberetne, abjecto cingulo, transfuga illorum ſe aggregare vexillo, qui, ob confeſſionem & prædicationem Evangelii, omnium injuriis, & innumeris perſecutionum nimbis, ictibusq; ac fulminibus adverſitatum paterent? Unde naſcitur argumentum II. *Qvicunqve inconſultis hominibus Evangelium docuit, is ab hominibus ad hoc munus neqve vocatus fuit, neqve informatus. Paulus inconſultis homini-*

hominibus Evangelium docuit. E. 2. *Apostolorum compellatio*, uberioris videlicet informationis, aut confirmationis gratiâ ℣. 17. ὡδὲ ἀνῆλθον εἰς ἱεροσόλυμα πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους: prodeunte argumento III. *Qui prius Evangelium docuit, quàm Apostolos adiret, hujus vocatio ac doctrina æquè est meræ divinæ ac Apostolorum cæterorum.* *Paulus Evangelium prius docuit, quàm Apostolos adiret.* E. *Commissa* 2. *quadruplex Pauli peregrinatio, & Ecclesiæ Judaicæ exultatio.* *Peregrinatio* 1. fuit *Arabica*, ℣. 17. ἀλλ' ἀπῆλθον εἰς ἀραβίαν, ultimam Asiæ, Arabiæq; proximam, ut qualitate præstantissimam, sic quantitate capacissimam regionem. Clauditur enim ab ortu, montium jugis Babyloniæ contiguis, & mari Persico; ab occasu, Arabico sinu & Isthmo, inter hunc sinum & mare Ægyptiacum interjecto; â meridie, mari rubro; â Septentrione, Palæstinâ, Cælo-Syria, & Euphrate; longitudine milliarium germanicorum 450. latitudine 340. tripartita in *Petræam*, sic dictam â metropoli *Petra*, quam gens *Nabatæorum* incoluit; *Desertam*, seu sterilem, habitatam à *Nomadibus* & *Scenitis*; ac *felicem* s. beatam, cinnami, thuris, aliorumq; odorum copiosissimo proventu lætam. 2. *Damascena*, ibidem: καὶ πάλιν ὑπέστρεψα εἰς δαμασκὸν, caput Decapoleos in Cœlo-Syria. 3. *Hierosolymitana* ℣. 18. ἔπειτα μετὰ τρία ἀνῆλθον εἰς ἱεροσόλυμα, (metropolin Judææ, totius orientis olim clarissimam, teste *Plinio*, quæ postea *Ælia Capitolina* nuncupata est, cum ab *Ælio Adriano* quadantenus restitueretur, hodie à Turcis appellatur Chutz; & cujus Encomiasten David agit Ps. CXX, 3. 4.) ἱστορῆσαι Πέτρον, (ut de rebus â se gestis Petrum scitiorem redderet, & aliqua inter illos notitia coalesceret) καὶ ἐπέμεινα πρὸς αὐτὸν ἡμέρας δεκαπέντε. En! igitur argumentum IV. *Quicunque demum post varias peregrinationes, docendi Evangelii gratiâ susceptas, Petrum salutavit,*

vit, saltem narraturus res à se gestas, is singulatim docendi potestatem à Petro non fuit adeptus. Paulus demum post varias peregrinationes, docendi Evangelii gratiâ susceptas, Petrum salutavit, saltem narraturus res à se gestas. E. Imò & V. Quicunque non amplius 15. dies cum Petro est conversatus, is Evangelii doctrinam à Petro discere nequivit. Paulus non amplius 15. dies cum Petro est conversatus. E. ἕτερον δὲ τ̃ ἀποστόλων (pergit textus ℣. 19.) οὐκ εἶδον, εἰμὴ ἰάκωβον τ̀ ἀδελφὸν τ̃ κυρίυ. Ultima est Syriaca ℣. 21. ἔπειτα ἦλθον εἰς τὰ κλίματα τ̃ συρίας καὶ τ̃ κιλικίας. Complectitur autem Syria, avulsis post Reginæ Semiramidis obitum, Assyriâ, Mesopotamiâ, & Babyloniâ, ambitu suo Palæstinam, Phœnicen, Antiochenen, & Cœlen, milliar. 140. in longitudine, & 50. in latitudine. Cilicia longissimo tractu porrigitur inter Cilicium mare & Taurum montem, ibiq; sita est Tarsus patria Pauli. Cæterùm singula, quæ hactenus relata fuerunt, confirmantur juramento ℣. 30. ἃ δ γράφω ὑμῖν ἰδὲ ἐνώπιον τ̃ θεῦ, ὅτι ὐ ψεύδομαι: non ad hanc tamen narrationem solam, sed ad omnia, quæ Epistolâ hâc proponuntur, extendendo. Exultatio Ecclesiarum Judaicarum indigitatur, ℣. 22. 23. 24. ἤμην ἀγνοούμενος τῷ προσώπῳ ταῖς ἐκκλησίαις τ̃ ἰουδαίας, ταῖς ἐν χριστῷ, μόνον δὲ ἀκούοντες ἦσαν, ὅτι ὁ διώκων ἡμᾶς ποτε νῦν εὐαγγελίζεται τὴν πίστιν, ἣν ποτε ἐπόρθει, καὶ ἐδόξαζον ἐν ἐμοὶ τ̀ θεόν: Devota nimirum gratiarum actione venerantes conversionem Pauli, quem tubam Evangelii, rugitum Leonis nostri, tonitru gentium, fulmen eloquentiæ Christianæ, non immeritò colit Hieronymus. Ut emergat argumentum VI. Cujus conversionem & prædicationem divinam agnoverunt & celebrarunt Ecclesiæ CHRISTI Judaicæ, ejus vocatio & doctrina nec ab aliis est rejicienda. At talis conversio & prædicatio est Pauli. E. Fuit succincta textus analysis. Sequitur

tam Theoreticus, quàm practicus. De Theoretico sit

APHORISMUS διδακτικὸς I. *Prater vocationem ad ministerium ordinariam & mediatam, hodiéq; usitatam, olim adhuc alia viguit extraordinaria & immediata, propria Prophetarum & Apostolorum.*

Originem si spectemus, triplex est vocatio ad officium Ecclesiasticum, juxta v. 1. Prima sit *ab hominibus*, h.e. autoritate merè humanâ; penitus illegitima, eorum scilicet, qui iniquo tramite ad munus ecclesiasticum perveniunt, vel inordinato hominum favore adjuti, vel temerario ausu semetipsos ingerentes, ut *Pseudoprophetarum, Enthusiastarum, Anabaptistarum, Swenckfeldianorum, Photinianorum*, de quibus *Jehova* Jerem. XXIII. 21. *Currebant, & ego non mittebam eos.* 2. *Per homines*, & pro causâ principali habet DEUM, nunquam non orandum, ut *extrudat operarios in vineam suam* Matth. IX. 38. sed ministeriali tamen operâ hominum peragitur, & quidem suffragiis Ecclesiæ totius, utpote cujus interest, qualem curatorem animarum sortiatur. 3. *Neq; ab hominibus*, neq; *per homines*, sed ἀμέσως per *DEUM ipsum*. Quo pacto factum fuit verbum Domini ad Prophetas in T. V. & sub exordium Novi, ad *Johannem Baptistam*, Luc. III. 2. omnesq; Apostolos, vocatos à Salvatore vel ante ascensionem, ut duodecim illos, quos testes miraculorum suorum & concionum omni exceptione majores selegit, vel ab ascensione, ut *Paulum*. Ut minus accuratè nonnulli vocationem extraordinariam dispescant in immediatam & mediatam, qualem obtigisse putant *Aaroni* per *Mosen*, & *Eliseo* per *Eliam*, confundentes vocationem cum vocationis declaratione. Etsi enim voluntatem, mandatumq; divi-

divinũ, de aggrediendo S. Ministerio, patefecerit & *Aaroni Moses*, & *Elisæo Elias*: Solus tamen DEUS officio illi utrumq; destinavit, absq; interventu ullius humanæ vocis, aut voti.

II. *CHRISTUS neutiquam est* ψιλὸς ἄνθρωπος, *sed* θεάνθρωπος.

Probare id in præsenti licet tùm à *disparatis*, hominibus quibuscunq; aliis, tum ex triplici *effectu*, contra *Photinianos*. Primũ præbet vocatio, quæ & immediata est, & Deo Patri simul ac Christo, in oppositione ad puros putos homines, tribuitur v. 1. *non ab hominibus, neq; per hominem, sed per JESUM CHRISTUM, & DEUM Patrem, qui suscitavit illum ex mortuis.* 2. *Largitio divinorum bonorum*, qualis competit Causæ Principali; siquidem Apostolus non minus à CHRISTO, quàm DEO patre precatur v. 3. *Gratiam*, omnium beneficiorum spiritualium inexhaustum fontem & scaturiginem, atq; *pacem*, sive tranquillitatem conscientiæ, *exuperantem omnem intellectum*, Phil. IV. 7. 3. *Remotio extremi mali*, sc. liberatio à peccatis, & corrupto seculi statu v. 4. *Qui dedit semet ipsum pro peccatis nostris, ut liberaret nos à præsenti seculo malo.* Hoc enim cum itidem infinitam requirat potentiam, ad debellandos quoscunq; hostes spirituales, soli DEO in solidum debetur Es. XXXV, 4. XLIII, 25. XLIV, 22. Hos. I. 7. Unde quidem non illum formamus syllogismum, quem nobis affingit *Enjedinus*, & amplecteretur aliquis *Marcionita: Paulus negat se ab hominibus munus accepisse, sed à JESU CHRISTO: E. hunc negat esse hominem;* Verum hosce: I. *Quicunq; puris putis hominibus in sacris literis apertè contradistinguitur, is ipse* ψιλὸς ἄνθρωπος *statuendus non est. Christus in Sacris literis puris putis hominibus apertè contradistinguitur.* E. II. *Quicunq; immediatè vocavit Apostolum Palum, est verus Deus. CHRISTUS immediatè vocavit Apostolum Paulum*, E. III.

Quicunque invocandus est, ut autor divinorum bonorum, ille est verus Deus. Christus ita invocandus est. E. IV. *Qui nos liberavit à peccatis, est verus Deus. Christus nos liberavit à peccatis.* E. Nec obstat, quod seorsim à DEO nominetur CHRISTUS: *Per JESUM CHRISTUM, & DEUM Patrem.* Contradistingui enim DEO CHRISTUM non ratione οὐσίας, sed duntaxat respectu τῆς ὑποστάσεως, palàm facit additamentum *Patris*, ut neq; essentiam separemus, neq; confundamus personas. Falsum quoq;, per ἐξοχὴν Christo hîc assignatam, illum tantùm eximi numero hominum vulgarium, uti Luc. XVIII. 11. thrasonicè gloriatur Pharisæus: *Non sum sicut cæteri homines;* & *Simson* ait Jud. XVI. 17. *infirmus ero, sicut cæteri homines.* Vocatio enim ad verbi divini ministerium immedita, per nullum φιλὸν ἄνθρωπον peragitur, vel peragi potest; cum vocatum donet singulari θεοπνευστίας & infallibilitatis privilegio, quod à nullo puro puto homine confertur, quamcunq; is dignitatis cedrum conscenderit: adeoq; eminentia hîc tributa Christo, non nudum concernit statum, vel conditionem, sed personam, quæ sit θεάνθρωπος, Deus in carne manifestatus 1. Tim. III. 16. Verbum caro factum Joh. 1. v. 14. איש יהוה Gen. IV. 1.

III. *Semel renatos (fide, spe, charitate præditos,) gratia Dei postea excidere, non est ἀδύνατον.*

Calvinianorum sententiâ, renati, per peccata contra conscientiam, saltem impediunt ἐνέργειαν Spiritus S. ipsum verò non excutiunt, nec gratiâ Dei se privant. Ast contrarium docet exemplum Ecclesiarum *Galaticarum. Susceperant Paulum ut Angelum Dei, imò ut Jesum Christum, ut vel oculos eruissent, eiq; dedissent* c. IV. 15. 16. *Acceperant etiam ex auditu fidei spiritum S.* III. 2. *Baptizati in Christum, eum induerant, nec parum pro Christo passi fuerant* v. 4. & tamen à *digressis*

greſſu Pauli in Pſeudapoſtolos transferebantur, teſte texu præſenti v. 6. *faſcinabantur* ἀνόητοι c. III. 1 *à Chriſto convertebantur ad egena elementa mundi.* IV. 9. *indeq; Chriſtum ſibi inutilem reddebant* V. 5. *gratiâ excidentes* ib. v. 4.

IV. *Scriptura Canonica tantâ pollet perfectione, ut nullas compatiatur vel Traditiones dogmaticas, vel Revelationes Angelicas.*

Ut facilis, ſic antiqua via eſt, per traditionum fallere nomen. Quantoperè olim Prophetæ, in redarguendis veterum Judæorum Traditionibus ſeſe occuparint, videre eſt Eſ. XXX. 21. LXVI. 3. Jer. VII. 24. Ezech. XX. 13. Amos. II. 4. Mich. VI. 16. Soph. III. 11. Zach. I. 6. VII. 3. VIII. 19. Contra δευτερώσεις Phariſæorum diriguntur conciones Chriſti Matth. V. XV. XXIII. Marc. VII. Luc. XVIII. Anno 150. poſt aſcenſionem Chriſti, ingens Traditionum cumulus congeſtus fuit in Thalmud Rabbinorum, ſub titulo Cabalæ, quam reſervandam ſapientioribus, & tanquam ſublimius ἀκρόαμα vivâ propagandum voce, præter legem ſcriptam, accepiſſe putarunt in monte Moſen. Imitatione Judæorum, jactarunt deinde Traditiones hæretici varii, *Sethiani, Archontici, Severiani, Encratitæ, Bardeſaniſtæ, Baſilidiani, Valentiniani, Marcionitæ,* cumprimis *Montaniſtæ,* qui præter ſcripturam, delicias ſibi fecerunt traditionibus, quas à *Paracleto* profectas crediderunt. Eundem in modum pari pietatis affectu cum ſcripturâ ſuſcipiendas *Traditiones dogmaticas* patres *Tridentini* imperant. *Pereſius* Traditiones hujusmodi in tres diſpeſcit Claſſes. I. complectitur *Divinas,* ſenſum ſcripturæ, ritum baptismi, ſacramentum confirmationis, confeſſionem auricularem, ſatisfactionem pœnitentiæ, ordinem, ſacrificium Miſſæ, præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtiâ extra uſum, ſuffragia defunctorum, communionem ſub una, tranſubſtantiationem,

onem, purgatorium, extremam unctionem, cultum Sanctorum, venerationem reliquiarum, imaginum, sepulchrorum & basilicarum, pædobaptismum, exorcismum, mixtionem aquæ cum vino, unitatem Episcopi Romani, & verba consecrationis in Evangelio non contenta. 2. *Apostolicas*, comprehensas Apostolicis canonibus, & Epistolis *Clementis*, ut jejunium quadragesimale, & quatuor temporum, Cælibatum Clericorum, Celebrationem paschatos, pentecostes, benedictionem aquæ in baptismo, benedicti salis impositionem, auriumq; & narium attactum. 3. *Ecclesiasticas*, h. e. leges & instituta Episcoporum, quæ in numeratis non habentur. At quid Apostolus? Hic horrendo anathematis fulgure bis percutit paradotas quoslibet v. 7. & 8. *Etiamsi angelus de cœlo evangelizet vobis præter id, quod accepistis, anathema sit:* adhibitâ notatu dignissima particulâ παρὰ, non ἀντί. Ut infra, mortuos amandentur ad unum omnes, non tantum contra præconium Paulinum, paulò pòst literarum monumentis, ne ulla annorum serie aboleretur, consignatum, aliquid novi pro divino dogmate venditaturi; sed etiam præter Evangelium semel prædicatum, unicam fidei vitæq; normam, vel tantillum, ut scitu necessarium ad salutem, in medium allaturi. Latius quippe patet τὸ παρὰ, quam τὸ ἀντί. Quæcunq; sunt contra aliquod principium, sunt etiam præter illud; sed non lege amæbæâ quæ sunt contra rem quampiam, ant principium, statim sunt contra idem: τὸ παρὰ enim solam notat diversitatem, τὸ ἀντὶ autem connotat pugnam. Quàm larga verò messis est diversorũ absq; pugna? Diversa sunt, seu disparata, Sol, & luna; aurum, & argentum; adamas, & saphirus; at sine omni cõtrarietatis pugnæq; vestigio. Rejicienda igitur tam quæ *PRÆTER*, quam quæ *CONTRA*

TRA Evangelium ab Apostolo prædicatum, de viâ ad vitam æternam ducente proferuntur. Quamvis nil omninò prædicari directè possit præter evangeliũ Paulinum, quin indirectè contra illud faciat: cum humana divinis misceri,& in unum conjici chaos nullatenus queant Matth. XII. 30. *Qui non est mecum, contra me est.* Hinc ita colligimus: *Quicquid præter Doctrinam scripto Dei verbo comprehensam pro principio fidei venditatur, anathemate est percutiendum. Traditiones dogmaticæ, præter doctrinam scripto Dei verbo comprehensam, pro principio fidei venditantur.* E. Frustra *Bellarminus* arripit verbum εὐηγγελισάμην, eoq; significari doctrinam à Paulo prædicatam in genere, quocunq; modo, contendit. Fiat syllogismus: *Quicunq; nobis commendat doctrinam à se prædicatam in genere, sive ea sit scripto comprehensa, sive non, is neutiquam nos adstringit ad scripturam solam. Paulus nobis commendat doctrinam à se prædicatam in genere, sive ea scripto comprehensa sit, sive non.* E. Resp. per inficiationem Majoris. *Nam quicquid Evangelistæ & Apostoli præconiaverunt, postea per Dei voluntatem in Scripturis S. nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei futurum,* dicente, docenteq; *Irenæo.* Quid? quod ipse *Paulus* palàm protestetur, se nihil prædicasse unquam παρεκτὸς τῶν προφητῶν, Extra, vel præter antiquissima scripta prophetarum. Act. XXVI. 22. Inst. I. *Quicunq; multa docuit & scripsit post epistolam ad Galatas, is non damnat omne additamentum dogmatum à scriptura diversorum. Paulus multa docuit & scripsit post Epistolam ad Galatas.* E. II. *Quicunq; damnat legalia permiscentes Evangelicis, is tantùm vetat Evangelio suo aliquid adjicere contrarium. Paulus damnat permiscentes legalia Evangelicis.* Es. Resp. ad 1. per limitationem majoris: Quicunq; multa docuit& scripsit post

Epistolam ad Galatas, scilicet *quæ constituant peculiares & distinctos fidei articulos antea nondũ propositos*, is non damnat in hac epistola omne additamentum dogmatum à scriptura diversorum. Sic negatur minor. Nam eadem ubiq; de iisdem Paulum inculcasse, & collatio evincit epistolarum, & clarissimum ipsius testimonium: *Eadem vobis scribere* ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές. Phil. III. 1. Ad 2. negando minorem. Etenim disparata quidem sunt & quàm longissimè à se invicem removenda, Lex & Evangelium, ex effato B. *Lutheri: Quicunque discernere novit ab Evangelio Legem, gratias agat Deo, & sciat se jam esse Theologum, ego certe in meis tentationibus id nondum potui*: ac malo jure, ut jura coquus, confundunt tum *Pontificii*, tum *Photiniani* Legem cum Evangelio, miraq; metamorphosi, Evangelii gratiam, & veritatem per Christum donatam, transformant in Legem, per Mosen traditam: Contrarietatis autem nihilo plus *per se* alunt, quam illorum *objecta*, facienda & credenda, proximaq; *officia, dum quicquid lex operum minando imperat, lex fidei credendo impetrat*, ut loquitur *Augustinus*; adeoq; *in praxi quovis puncto Mathematico conjunctiora manent*, ut hoc de suo nobis iterum largiatur *Lutherus*. Atq; sic una eademq; operâ satisfactum primæ rationi, ob quam *Cornelius à Lapide* ἀπὸ *præter*, hoc loco, idem esse censet, *quod Contrarium fidei accepta, quia* nempe *loquatur Paulus contra Judaizantes, qui Judaismum præter, id est Contra Evangelium inducere volebant, non secus ac si quis Christianismo vellet ingerere Calvinismum, vel Turcismum, is præter Christianismum, id est, contra Christianismum, novam legem & sectam induceret.* Etsi adhæc nec scopum Epistolæ nostræ dextrè satis & plenè Adversarius exponat. Etenim Occasionem quidem illi consignandæ suppeditarunt Judaizantes, qui Synagogam cum honore sepultam, (verba sunt B. *Augustini*,)

re-

resuscitare modis omnibus, & in Ecclesiæ proscenium, etiam inter gentiles, postliminiò revocare satagebant. Scopus autem adæquatus longius protenditur, utpote qui est non tantùm præposterum hunc Zelum, sed generaliter quælibet nova dogmata, de ratione consequendi salutem æternam, cùm illorum autoribus damnare, ac tantam asserere Doctrinæ Apostolicæ αὐθεντίαν, integritatem & perfectionem, ut â nullo sive homine, sive Angelo, ullum recipiat additamentum, cujuscunq; prætextus lenocinio abblandiatur: Utut maximè illi, qui rebus novandis incumbunt, contendant, se nihil CONTRA Doctrinam Paulinam in medium afferre, (quotumquemq; enim hæreticorum ita pudorem omnem dedidicisse ac decoxisse arbitrabimur, ut illud palàm asseverare sustineat?) sed aliquid saltem *præter* eandem proponere, quod ἐπισύγματος cujusdam, & auctarii, vel epimetri vicem supplere queat. Ratio 2. est, *quia clarum & certum, non Angelum modò, sed & Paulum plura scivisse, & consequenter evangelizare potuisse, quàm fecerit.* Syll. *Quicunq; potuit plura evangelizare, quàm evangelizavit, is non prohibet simpliciter aliqvid recipere præter evangelium â se prius prædicatum. Paulus pot. evangeliz. &c.* E. R. per inficationem Minoris, apertissimè contradicentis Apostolo ipsi Act. XX. 27. *Non subterfugi* γὰρ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν *OMNE CONSILIUM DEI*, nempe *testificans Judæis & gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum JESUM CHRISTUM* v. 21. Sicuti *prædicatione pœnitentiæ & remissionis peccatorum*, Summam totius Doctrinæ Christianæ CHRISTUS complectitur Luc. XXVI. 47. Ratio tertia, *quia Paulus passim, uti & Christus, jubet servari præcepta Apostolorum & Superiorum*, Act. XVI. 4. Hebr. XIII. 17. Syll. *Q. jubet servare præcepta Apostolorum & superiorum is non vetat* ἁπλῶς *aliqvid recipere præ-*

ter Evangelium à se prædicatum. Paulus jubet servare præc. Apost. & Super. E. R. detegere falsitatem Majoris collationem Dicti allegati ex Act. XVI. 4. *Cum pertransirent Civitates (Paulus & Timotheus) tradebant iis custodire dogmata quæ erant Decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Hierosolymis,* cum antecedente Cap. XV. 23. 25. Hîc enim *Paulo & Barnabæ,* simulq; *Judæ* ac *Silæ* id negotii committitur, ut hæc ipsa Concilii Hierosolymitani decreta, & quidem literis comprehensa, conversis gentibus patefaciant & significent. Sed Superiores quoq; reliqui ad unum omnes ita alligantur Verbi Divini præscripto, ut nec illis sancire, nec nobis servare ulla alia præcepta, tanquam per se observatu necessaria, quàm quæ σύμφωνα S. literis existunt, integrum sit per clarissima Oracula Deut. IV. 2. XII. 32. XVII. 11. Es. VIII. 20. XXX. 21. Mal. II. 7. Matth. XV. 9. Hinc *Cyprianus* ad Pompejum: *Si in aliquo vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelicam, & Apostolicam traditionem revertamur: Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur, Jos. 1. Si igitur aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis & actibus continetur, observetur etiam hæc sancta traditio.* Irenæus Lib. II. c. 47. *Credere hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit rectissimè scientes, quia scripturæ perfectæ sunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu ejus dictæ.* Et Lib. III. c. 2. *Omnes hæretici, cum ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neq; sint ex autoritate, & quia Variè sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri Veritas ab his, qui nesciant traditionem.* Athanas. in Orat. contra Idola: *Sufficiunt per se Sacræ & divinitus inspiratæ literæ ad Veritatis dijudicationem.* Basil. in serm. de fidei Confess. *Infidelitatis argumentum fuerit & superbiæ signum certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid rejicere velit, aut eorum quæ non sunt scripta, introducere,*

cum

cum Dn. noſter JESUS GHRISTUS *dicat, Oves meæ Vocem meam audiunt, & præmiſerit, alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab illo.* Hieron. ſuper cap. XXIII. Matth. *Quod de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Aug. Tract. 96. in Joh. *Si ſcripta non ſunt, quis noſtrum, qui nec Propheticâ, nec Apoſtolicâ auctoritate excellimus, dicat illa, vel iſta eſſe? aut ſi quis dicere audeat, undè probabit?* Damaſc. Lib. I. de Orthod. fide c. 1. *Cuncta quæ tradita ſunt per Prophetas, per Apoſtolos, per Evangeliſtas, ſuſcipimus, agnoſcimus, veneramur, nihil ultra illa perquirentes.* Quæ Teſtimonia luce meridianâ luculentiora aliis Patrum incommodè dictis & Commentationibus ſuper noſtrum textum, quas *Cornelius* jactat, opponimus, Unà cum ſuffragio *Theophyl.* ſuper hunc locum: NEQUE ENIM SI CONTRARIA SOLUM PRÆDICARENT, INTULIT, SED SI EVANGELIZAVERINT ID PRÆTER QUOD IPSI EVANGELIZAVIMUS, EXECRATIONI SUBDANTUR. Nec obſcurè Patres ſuo nos exemplo docent, quàm proclivis in errorem lapſus ſit, ubi præter revelatum Dei Verbum, Traditiones Dogmaticas conſectari juvat. *Papias Joannis* auditor, & condiſcipulus *Polycarpi*, cum plus juſto Traditionibus tribueret, avidèq; exquireret ſeniorum Verba, quid Andreas, quid Philippus, quid Thomas, vel alius quispiam ex Diſcipulis Domini dixerit, plus utilitatis ex vivâ voce, quàm ex libris, relaturus, ξενὰς διδασκαλίας, καὶ μυθικωτέρας in Eccleſiam invexit, referente *Euſeb.* Lib. V. c. 20. Sic è Traditionibus Chiliaſticam opinionem amplexi fuerunt *Irenæus, Apollinaris, Tertull. Victorin. & Lactant.* E Traditionibus *Clem. Alexandr.* Lib. 1. Strom. Doctrinæ cœleſtis Veritatem admiſcuit Philoſophorum Decretis, ut Philoſophiam non minus Pædagogiam finxerit ad

CHRISTUM gentibus, quàm Legem Judæis. Lib. II. Strom. asserit, Apostolos post mortem etiam mortuis prædicasse. Lib. VI. Strom. autumat cessaturâ forte supplicia post hanc vitam. E Traditionibus Proteuangelio Jacobi comprehensis *Epiphanius* putat, CHRISTUM esse natum in speluncâ. E Traditionibus, seu scripturâ non certa, Magos demum post biennium â nato CHRISTO Bethlehemum venisse, *Chrysost.* opinatur in Op. imperf. de Magis. E Traditionibus in Evangelio Nicodemi extantibus, Christus creditur Adamum in inferno solvisse, *Consentiente totâ ferè Ecclesia, Aug*, ep. 99. ad Euodium. Quæ uberioris declarationis ergò adduntur â *Cornelio*, miscent vera falsis. *Sic*, pergit, *Apost. 1. Cor. III. 11.* παρὰ, *id est, præter accipit pro contra, cum ait: Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS. Qui enim alium CHRISTUM induceret, Anti Christum induceret: Sicut qui alium Papam inducit, Antipapam inducit, qui alium in regno Regem inducit, Veri Regis hostem inducit & tyrannum. Sic Rom. XI. 24. Si tu ex naturali excisus oleastro & παρὰ φύσιν (contra Naturam) insertus es in bonam olivam. Imò sic latinè sæpe loquimur per Miosin cum Terentio in Andria: præter civium morem atq; legem, id est, contra morem ac legem. Simili modo Deut. IV. 2. dicit Dominus non addetis ad Verbum, quod ego vobis loquor, nec auferetis ex eo, id est, ad præcepta quæ ego præcepturus sum, non addetis aliquid eis repugnans, novi præsertim Numinis, vel Idoli cultum & religionem inducens. Similis est phrasis Apocal. ult. 18. Contestor enim omni audienti Verba Prophetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad hæc apponet Deus super illum plagas, scriptas in libro isto: Alioqui enim Prophetæ & Apostoli huic scripturæ & præcepto multa addiderunt. Imò secum pugnaret Moses, nam infra cap. XVII. 10. jubet sub pœnâ mortis, Sacerdotis decreto obediri.* Verum videl. interdum τὸ παρὰ per

Con-

Contra verti posse. Ut autem nefas à particulari protinus argumentari ad Universale: ita falsum, vel Deut. IV. 2, vel Apoc. ult. 18. â propriâ significatione præpositionis παρὰ recedendum esse. Rationes *Cornelii* nullius sunt momenti. Quid addere scripto Prophetæ potuerunt, quod longè post Prophetarum ætatem fuit adornatum, & cum Evangelio Johannæo colophonem imponere Canoni Biblico, vel agmen claudere librorum θεοπνεύστων debuit? Ab Apostolis autem deinde dogmata quæpiam, (super his enim cardo Controversiæ volvitur) accessisse, unde probatur? Quousq; capitis pœna constituatur Deut XVII. si quis acquiescere sententiæ Sacerdotum noluerit, commonstrant antecedentia: JUXTA LEGEM, *quam docuerint te, facies, non declinabis à Verbo quod annunciaverint tibi ad dextram, aut sinistram.* Legem autem hanc & verba, quæ oculis obversari Israelitarum, in Judiciis, tanquam perpetuam faciendorum & fugiendorum normam, Deus voluit, & ad quam illos remittit Mal. ult. 4. *Mementote Legis servi mei Mosis*, disertè scripto complecti Moses jubetur Ex. XXXIV. 27. *Scribe tibi Verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus.*

Cæterum ut pontificii Traditiones, sic Revelationes angelicas jactant, de articulis fidei, *Swenckfeldiani*. *Weigeliani* etiam quadruplici fundamento Theologiam superstruunt, *verbo interno*, seu congenito lumini naturæ, *Philosophiæ Cœlesti*, ambitu suo comprehendenti Chymiam, Astrologiam & Arithmeticam apocalypticam, *secretæ revelationi*, & deniq; *colloquiis angelorum*. Ast iterum contra perfectionem & officium normale scripturæ Canonicæ. Fuit sanè tempus, quo ecclesia scripto Dei verbo caruit, ideoq; veritatẽ cœlestẽ aliunde hausit. Antiquissimum enim scriptorẽ extitisse Mosen constat. Proinde ut ante

ætatem

ætatem Mosis per annos 2554. nihil instinctu divino in literas relatum fuit: ita nec illis alligari fideles potuerunt, Deo πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως se suamq; voluntatem patefaciente Heb. I. 1. jam per internam inspirationem, jam per vocem auribus insonantem, jam per figuram visibilem, jam per insomnium, jam per visionem. Num. XII. 6. Cumq; Scripta Mosis typica valdè sint, & sub variis imaginum involucris mysteria fidei proponant, indeq; luculentæ interpretationis indigeant, ad consequendam eam πληροφορίαν, quâ patres V. T. non minus quàm nos per gratiam Jesu Christi salvati sunt, Mose adhuc in vivis superstite, pro normâ fidei non fuit scriptura sola; sed pariter infallibilis Mosis viva vox. Idem judicandum de concionibus Prophetarum reliquorum, & Apostolorum *in omnem veritatem â Spiritu S. ductorũ*, quocunq; docuerint modo Joh. XVI. 13. Adæquat ũitaq; Normale Principiũ fidei, quod singulis tẽporibus valuit, Divina suppeditat revelatio. Perductâ autem jam ad umbilicum, & partibus omnibus absolutâ scripturâ Canonicâ, anathema denunciatur cuivis novorum dogmatum præconi, ut ne quidem ab Angelo de cœlo abire liceat v. 6. 7. Quamvis se talem angelus bonus nunquam præstiturus: malus verò conatu hoc, eò tendente, ut à regiâ agnitæ veritatis cœlestis viâ, in periculosissima errorum avia incauti abducantur, assumptam callidè personam Angeli de Cœlo, seu lucis, sibi mox detracturus, nec obscurius suo se indicio proditurus sit, quàm cauda de vulpe, de leone ungves testantur.

V. *Omnis Apostata est persecutor sui ordinis.*

Exemplo est, præter judæos ceteros, Paulus ipse. Erant olim judæi, ingenti dignitatis prærogativâ in Dei peculi-

peculium adoptati, Es. XXXI. 9. Ps. CXLVII. 19. Vix autem abitionem à sinceritate religionis fecerant, cum dilacerando, diripiendoq; ingenuos Confessores, crudelitatis palmam non aliis modò, sed sibi quoq; invicem ambiguam reddere omni nervorũ impetu anniterentur. Quæ causa etiam *Paulo*, adhuc Pharisæo, arma adversus Christianos induit, ipsumq; in illum egit furorem, de quo v. 13. *Audivistis, quomodo versatus sim olim in Judaismo, me summè persecuum esse Ecclesiam Dei & vastasse.*

VI. *Quod DEUS unum citius, alterum serius; unum itidem modo ordinario, alterum extraordinario convertat, ejus rei ratio miranda, non rimanda est.*

Comprobat id rursus luculentissimè idem exemplum Pauli. Illuminatur hic mente, cum nihil minus cogitaret, eo tempore, quod in tabulis divinæ providentiæ fuerat decretum, non per fulgorem mysticum, & prædicationem verbi, ê cujus auditu fides ordinariè nascitur Rom. X. 17. sed per lucem, & vocem cœlitus demissam, planè extra ordinem. Sicuti trigam *Magorum*, per stellam in oriente conspectam, latronem in cruce, per miraculosam Eclipsin solis, & terræ motum, fide salvificâ imbutum novimus; Deo, ad extraordinarium hoc ῥῆμα, καὶ ἀκρόαμα, corda intus per irresistibilem conversionis gratiam movente, & ad se quàm efficacissimè trahente. Scrutaris causam? Isthmum perfodis, & in Tantali horto fructus colligis. Audi *Paulum* Rom. XI. 33. ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ, ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. Audi Ambrosium: *Quæ Deus patefecit, non sunt ignoranda, quæ autem occulta esse voluit, non sunt scrutanda, ne in his illicitè curiosi, in illis damnabiliter inveniamur ingrati.* Idemq; tibi dictum putes, si quæras de similibus arcanis cœli: Cur alios Deus primâ statim

tim diei horâ, alios tertiâ, alios sextâ, alios nonâ, alios deniq; undecimâ demum in vineam suam vocet? Cur uni plus gratiæ conferat quam alteri? Cur miraculis, quæ viderunt *Chorazin* & *Bethsaida*, non dignatus fuerit *Tyrum* & *Sidonem?* &c.

ἐλεγκτικὸς I. *Non semper Deus sine articulo, notat Deum dependentem & Deo patre inferiorem.*

Omittitur enim articulus, ubi de ipso Deo Patre sermo est, v. 3. Gratia vobis & pax ἀπὸ θεοῦ πατρός. Contra *Arianos* veteres & recentiores, qui classicum oraculum Joh. I. 1. *Deus erat verbum;* hac eludere πρεσβλότητι conantur, quod verbum non dicatur cum acticulo ὁ θεὸς; sed absq; articulo simpliciter θεὸς, h. e. inferior Deo patre, & dependens.

II. *Condemnare tum doctrinam falsam, tum pertinaces ejus hyperaspistas decet.*

v. 8 9. Si quis vobis Evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit. Contra *Calvinianos*, Formulam Concordiæ anquirentes violatæ charitatis Christianæ ream, ob usurpatum aliquoties verbum *Damnamus*, in rejectione errorum Calvinisticorum; ut & *Pareum*, nostrates vehem enter accusantem, quod dextram fraternitatis jungere Calvinianis renuant, in Comm. super nostram Epist. p. 38.

III. *Non omne juramentum est illicitum.*

Præter iuramentum enim temerarium, prohibitum Matth. V. 34. *Ne juretis Omnino;* & Jac. V. 12. *Nolite jurare;* concededum etiam necessarium, quod vel ἔπαχθον, seu autoritate superiorum injunctum, ad finem litigiis impo-

nen-

nendum, Hebr. VI. 16. vel ratione officii, de rebus arduis & dubiis sponte susceptum, tanquam aliqua cultus divini species; dum Deum invocamus καρδιογνώστην, ut veritatem eorum, quæ à nobis dicuntur, comprobet, puniatq; fallere cupientem. Deut VI. 13. *Dominum Deum tuum adorabis & per nomen ejus jurabis.* Quale Apostolus adhibet ac autoritate suaconfirmat, laudando Deum testem, non tantùm Rom. IX. 1. II. Cor. III. 23. verum hîc quoq; v. 20. *Quæ scribo vobis, ecce coram Deo non mentior. Ut non sit peccatum jurare, sed pejerare.* Aug. Serm. 28. de verb. Apost. Contra *Anabaptistas*, imò & *Hieronymum* super Matth. ita scribentem: *Hoc quasi parvulis lege fuit concessum, ut quomodo victimas Deo immolebant, sic & jurare permitterentur per Dominum, non quod rectè hæc facerent, sed quod melius sit Deo exhibere, quàm Dæmoniis.*

IV. *Glorificare Deum in sanctis, nequaquam est sanctos invocare.*

Glorificarunt Deum in *Paulo* Ecclesiæ judaicæ, v. 24. neq; tamen vel illæ eò dementiæ progressæ sunt, ut *Paulum* invocarent; vel *Paulus* tantus sibi suffenus fuit, ut incompetentem hunc honorem, licet maximè fuisset delatus, suscepisset: sed celebrarunt & submissâ εὐχαριστίᾳ coluerunt Gratiam Divinam, quod tàm repentinâ vi *Saulus* in *Paulum*, & persecutor Ecclesiæ in doctorem œcumenicum transiviisset. Contra *Pontificios*, licentiæ ininvocandi sanctos probationem arcessentes è Psalmo ultimo v. 1. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Quamvis abhæc discrepet vulgata versio Latina à fonte, jubente Deum glorificare בכרשו non in *Sanctis*, sed in *Sanctitate*, vel in *Sanctuario* suo.

Aphorismus παιδευτικὸς I. *Qui stat, videat ne cadat.*

Ingens enim est ingenii humani ἀῤῥωστία, & proclivis admodum, Deo manum subtrahente, in errorem lapsus tàm doctrinæ, quàm vitæ. Stabant olim benè, beneq; currebant inoffenso pede, quamdiu pendebant ab Apostoli ore, *Galatæ.* Ast quàm gravi tragicoq; lapsu ruerunt, quamprimum vacivas aurium ædes præbuerunt Pseudapostolis, translati in aliud & κατ' ἀντίφρασιν ita dictum Evangelium? v. 6. Orandus itaq; ardenter DEUS, *ut suâ nos virtute per fidem servet ad salutem* I. Pet. I. 5. vitanda omnis errandi occasio: compescendus prurit? & titillatio desiderii audiendi Doctores novos.

II. *Delictorum confessio nullam ignominiæ maculam adspergit, modò seria sequatur pœnitentia.*

Certè non involvit illa silentio Paulus, dum se olim immanem persecutorem fuisse Ecclesiæ ac vastatorem, remoto velo, refert. v. 14. Pertinet enim (1.) hoc ad amplissimæ benignitatis Divinæ illustrationem nulli præclusæ, sed omnibus brachia pandentis Es. LXV. 2. & ad resipiscentiam invitantis omnes Rom. II. 4. (2.) ad peccatorum aliorum consolationem, ne animum despondeant, nimioq; luctu in desperationis barachrũ sese abjiciant. (3.) Ad conversorum commonefactionẽ, ne in priora peccata relabantur, sed cautius sibi ab ipsis imposterum caveant, nec tanti emant pœnitere.

III. *Quilibet vocationi divinæ parere tenetur.*

Exem-

Exempli laudabilis facem præfulget rursus *Paulus*, abjectâ cunctatione, demandatum sibi munus aggrediendo v. 16. Terrorem si nobis incutiat vel oneris, vel periculi subeundi magnitudo, excutiat hunc, insolatium nunquàm non adhibenda, vox Salvatoris Matth. X. 30. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Quantam verò indignationem Jehovæ in se derivent, quotquot vocationi legitimæ, cujus causam principalem semper DEUS suppeditat, manibus pedibusq; renituntur, suis omnia commodis emetientes, cum evidenti documento sit *Jonas*, tùm porrò docet Apostolus noster I. Cor. IX. 16. *Væ mihi, nisi euangelizavero.*

ἐπαγορθωτικός. *Captatio auræ popularis, verbi divini ministrum maximè dedecet.*

v. 10. *Si hominibus placerem, Christi minister non essem.* Ratio est in aprico posita. Siquidem hominum plæriq; censoriam virgulam aversantur, eos tantum suspicientes concionatores, & laudibus magnificis extollentes, qui peccatis auditorum affabrè norunt pulvinar subjicere, juxta πλυθρύλλητον: *Obsequium amicos, veritas odium parit:* Et *Oweni* carmen:

Veronâ Beneventanam non itur ad urbem,
Esto Placentinus, sic Beneventus eris.

Ut πρόσδοξον quidem sit, sed à literis S. minimè alienum pronunciatum Lutheri, cum percontatione factâ de recens inaugurato Pastore, ab omnibus illum laudari audivisset: *Mi amice, ego nihil boni de te percipio: Homines enim te laudant; respondebunt illorum palato tuæ conciones. Hoc factum male.*

παραληπικὸς I. *Etsi fideles varias à mundo infectationes perpetiantur; læti tamen manent gratiâ*

tiâ DEI & pace conscientiæ, bonorum omnium augustissimâ.

v. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino nostro JESU CHRISTO.* Gratia quippe Dei quisquis fruitur, omnes facilè hostes triumphat. Rom. VIII. 32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos.* Pax etiam conscientiæ, *qua stamus in fide & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei,* Rom. V. 2. quanti æstimanda sit, liquidò patebit, quamdiu veritati consonabit effatum Ar. II. Rhet. 14. τὰ ἐναντία παράλληλα μάλιστα φαίνεται; ex opposito, conscientiâ malâ, quam & actoris, & rei, & testis, & judicis, & tortoris sustinere vices, vel summi orbis dynastæ non rarò experiuntur, dum, illâ expergefacta, non inveniunt, quò se vertant & ubi quiescant. Scitè *Claudianus:*

Cur tamen hos tu
Evasisse putas, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiens cœco tortore flagellum.

Pro varietate animorum, alii alia bona in votis habent. Ingenia χρηματιστικὰ inter votorum fastigia reponunt opes: πολιτικὰ, honores: ἀπολαυστικὰ, voluptates. In salutationibus Epistolicis veteres, usitatissimâ formulâ, sibi mutuò precabantur τὸ ὑγιαίνειν, quod primum etiam in vitâ bonum judicavit *Plato.* Ast quanto æterna caducis, cælestia terrenis anteponenda sunt, tanto intervallo hæc omnia post se relinquunt, quæ *Galatis* optantur munera.

II. *Turbantur quidem etiam â peccatis, sed non perturbantur Christiani, dum vulnerum Christi recordantur.*

Hic

Hic enim *semet ipsum tradidit pro peccatis nostris* v. 4. justitiæ infinitæ DEI per peccata nostra infinito modo læsæ, modo pariter infinito satisfaciendo, pœnamq; peccatis nostris debitam ab humeris nostris in suos recipiendo. Es. LIII. 5.

ABUSUS

Committitur, tùm à *Socinianis*, tùm ab *Helvidianis*, tùm à *Porphyrio*, tùm â *Cornelio â Lapide*, tùm à *Wendelino*.

Sociniani abutuntur contra Summam & Inde pendentem Deitatem Christi 1. particulâ διὰ ex eodem versu, è quo nos ὁμοουσίαν Christi cum Deo patre adstruximus, videlicet 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neq; per hominem*, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Deinde connexâ descriptione Dei Patris ab effectu, *resuscitatione Christi ex mortuis*. Agamus Syllogisticè: I. *Quicunq; præbet causam alicujus actionis instrumentalem, is non est summus & independens Deus.* CHRISTUS *præbet causam alicujus actionis instrumentalē, utpote cujus Character est part.* PER. E. II. *Quicunq; est resuscitatus ab alio, is non est Summus & Independens Deus. Christus est resuscitatus ab alio.* E. Respondemus ad syllogismum priorem, per inficiationem minoris. Particula enim *PER* ut pro perpetua nota sit causæ instrumentalis, tantum abest, ut non saltem Deo summo absolutè posito tribuatur I. Cor. I. 1. *Paulus Apostolus Jesu Christi*, διὰ θελήματος Θεοῦ: verum etiam in ipso textu nostro æquè Deo Patri ac Christo præmittatur. Sic enim plenè is sonat: *Paulus Apostolus non ab hominibus, sed per Jesum Christum & Deum Patrem, qui suscitavit eum ex mortuis.* Sicuti paulò pòst de utroq; usurpat particulam A, dum precatur *Gratiam & pacem* à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo v. 3. Gravissimè *Chrysostomus: Ne naturæ infallibili leges statuamus, neq; Deitati modum præscribamus inter Filium & Patrem, ideoq; postquam dixisset per* JESUM CHRI-

CHRISTUM, adjecit & Deum Patrem. *Si namq; sola Patris mentione facta dixisset: Per quem, fortassis commento reperto dixissent hanc particulam PER QUEM congruere Patri, eò quod filii opera ad illum referantur. At nunc simul & Patris & filii facta mentione, communiterq; de utroq; locutus, isti commento non passus est locum esse reliquum.* Ad posteriorem, per limitationem majoris ex parte subjecti: Quicunq; est resuscitatus ab alio sc. ἑτεροδῶς *diverso, & citra sui συνέργειαν*, is non est summus & independens Deus. Sic corruit minor. Non enim se habuit Christus, in resuscitatione sui, purè passivè; quin potius unà eademq; numero actione resuscitavit se ipsum, idq; propter identitatē essentiæ patris & filii Joh. II. 16. *Solvite templum hoc* (corporis mei) *& in tribus diebus illud rursus erigam;* in signum divinæ autoritatis, & potestatis miraculosæ ejiciendi è templo omnes, à quibus id prophanabatur: necnon X. 18. *Nemo tollit vitam à me (invito) habeo potestatem ponendi animam, & resumendi illam,* ob rationem v. 30. subjectam: *Ego & Pater unum sumus.* Ut huc quoq; quadret piæ antiquitatis axioma: *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, servata modò cujusq; Personæ proprietate.* Sicuti hîc κατ' ἐξοχὴν Deo Patri resuscitatio Christi, non absq; speciali ratione, assignatur. Receperat filius, liberaturus nos à peccatis & corrupto hoc seculo, ἰσόρροπον pretium Deo Patri, nostro loco, persolvendum. Pater igitur dimittendo hunc vadem nostrum & sponsorem, è squalido carcere mortis, illustrissimo πληρῶ confirmatum dare voluit, abundè jam consummata esse omnia, præstitam à filio satisfactionem sufficientissimam, & acceptatam à Deo Patre, singulis credentibus imputandam. II. Limitamus majorem, quà prædicatum: Quicunq; est resuscitatus ab alio non est summus & Independens Deus, sc. *secundum illam naturam.*

naturam respectu cujus resuscitatus fuit, & quidem ἐπωδῶς. Quomodo concedimus argumentum totum. Spectat enim resuscitatio Christi passivè sumpta ad naturam humanam, juxta quam est nobis ὁμοίωσις, *participans carne & sanguine, ut pueri participant iisdem* Heb. II. 14. nec Deus est, vel dicitur nisi ὑποστατικῶς, & παρωνύμως, ob personalem cum naturâ divinâ unionem. Emphaticè *Lutherus* super hunc locum: *Ex abundantia cordis Paulus loquitur, ardet & gestit illi animus, statim in ipsa epigraphâ promere impervestigabiles divitias Christi, & prædicare illam justitiam quæ dicitur resurrectio mortuorum. Christus vivus & resuscitatus ex mortuis loquitur ex eo, & impellit eum; ideò non sine causa addit: Se quoq; Apostolum esse per Deum Patrẽ, qui resuscitavit Jesum Christum à mortuis, quasi diceret: Mihi negotium est cum Satanâ & cum viperis illis organis Satanæ, quæ mihi subvertunt justitiam Christi resuscitati per Deum Patrem ex mortuis, per quam solam justificamur, per quam ad vitam æternam ex mortuis resuscitabimur in illo die.*

Helv. abutuntur, contra perpetuã virginitatem Mariæ v. 19. *Alium ex apostolis non vidi, nisi Jacobum fratrẽ Domini.* Syllogismus est talis: *Quæcunq; post Hyperphysicam nativitatem Christi edidit Jacobum partu merè physico, ea non mansit ἀειπαρθένος. Maria post Hyperphysicam nativitatem Christi edidit Jacobum partu merè physico.* E. Respondemus negando minorem. Quod enim *Jacobus*, Salvatoris consobrinus, appelletur ejus ἀδελφὸς, fit per Hebraismum, ampliatâ significatione vocis, ad denotandum quemvis consanguineum: quemadmodum origine generis, fratres vocantur omnes judæi Germaniæ; professi one religionis, omnes Christiani. *Hieronymus* arbitratur, *Jacobo* etiam fratris Domini appellationem peperisse egregios mores, incomparabilem fidem & sapientiam, quibus videbatur Christo similis, quasi frater, unde & dictus sit justus.

Porphyrius abutitur ad scribendam *Paulo* immodestiæ & arrogantiæ dicam. ℣s. 16. & 17. *Non contuli cum carne & sanguine, neque redii Hierosolymas ad eos, qui ante me fuerunt Apostoli.* Syllogisticè: *Quicunque collegas & consortes alto supercilio præ se contemnit is immodestè agit. Paulus collegas & consortes suos præ se alto supercilio contemnit.* E. Sed neganda denuò minor: Quæ enim *Paulus* de vocationis suæ eminentiâ, & autoritate sui apostolatus hîc commemorat, extorserunt importunæ calumniæ pseudapostolorum, *Porphyrii*, pagani, hoc crimine similium: *Paulum*, absq; omni vocatione legitima, temerario ausu sibi sumpsisse partes in ecclesiâ docendi, Apostolis, quos audivissent ipsi, haudquaquam æquiparandum. Hos itaq; dum retundit, nullam spirat arrogantiam, sed necessariam apologiam adornat, Nominis Numinisq; divini gloriæ militantem. Quali in casu elationem animi mereri veniam, imò laudem, equites arbitrabantur, juxta adagium Germanorum: **Wenn man den Helm auffbindt/ und das Panier entwendt/ da hat Hochmuht eine Ehr/ und sonsten nimmermehr.** *Fuit summa necessitas sic gloriari, non vana jactantia; ut Prophyrius & Julianus calumniantur, qui non viderunt ut neq; Hieronymus, quid Paulus ageret. Periclitabatur hic Pauli ministerium, periclitabantur omnes Ecclesiæ, quæ ipso Doctore usæ fuerant. Requirebat igitur necessitas ministerii Pauli & omnium Ecclesiarum, ut necessaria & sancta superbia jactaret suam vocationem & revelationem Evangelii sibi à Christo factam, ut certâ redderentur conscientiæ, Pauli doctrinam esse DEI verbum*, verba sunt *Lutheri.*

Wendelinus abutitur exercitat. 96. §. 10. pro ἀδυναμίᾳ apostasiæ fidelium, & ad eludendum oraculum II. Pet. 1. v. 8. & 9. *Etiamsi Angelus de Cœlo aliud vobis Evangelium annunciaverit, præter id, quod vobis annunciavi, anathema sit. Non*

scribit,

scribit, inquiens, *Petrus* II. ep. I. 1. *eos, qui* ἰσότιμον ἡμῖν πίστιν *acceperint, iterum ejus posse oblivisci, & in peccatorum tenebris palpare denuo, sed scientiæ jubet addere temperantiam, temperantiæ tolerantiam, tolerantiæ pietatem, pietati animum in fratres propensum, animo in fratres perpenso charitatem. Hæc cui non adsunt, is cæcus est, nihil procul cernens, oblitus se à peccatis veteribus purgatum. Hypothetica Apostoli sententia est: Si qui* ἰσότιμον ἡμῖν πίστιν *acceperunt, virtutem virtuti addere intermiserint, & planè desierint, futurum, ut excæcentur obliti purgationis à veteribus peccatis. Anne vero inde sequitur semel donatos justificante fide omni valedicere virtutum studio & sic naufragium salutis atq; fidei facere? Eodem artificio concludi potest, etiam beatos in cœlo angelos anathema posse fieri & damnari, quia & hisce angelis Paulus anathema dixit, si aliud Evangelium annuncient.* Syllogisticè ita: *Qualis est conditio, sub quâ Paulus anathema minatur beatis angelis, si novum evangelium prædicarint, sub tali etiam dicuntur excæcati fideles, si virtutem virtuti non addiderint. At conditio, sub quâ Paulus minatur anathema sanctis Angelis est planè impossibilis. E. & altera, sub quâ excæcatio denunciatur fidelibus, si virtutem virtuti non addiderint.* Resp. per inficationē majoris. Heterogenea planè sunt, quæ Gal. I. 8. & II. Pet. I. reperiuntur Dicta. Ab uno igitur colligere ad alterum, est argumendari à baculo ad angulum. Si è conditione beatorum angelorum æstimandi forent per omnia, homines credentes nondum corporeis vinculis exoluti, utiq; statuendi prorsus ἀναμάρτητοι restarent. Itan. confirmatum in concreatâ sanctitate & veritate supramundanorum spirituum beatum chorum novimus, ut ejus jacturam nunquam passurus sit: *Cum non sit homo, qui non peccet,* III. Reg. VIII. 46. quin potius *in multis labamur omnes,* Jac. III. 2. *destituti gloria Dei.* Rom. III. 23. Imò quàm larga hominum ἰσότιμον πίστιν nobiscum adeptorum, & semeljusti-

ficatorum mesſis eſt, qui menſuram conditionis, ſub quâ excœcationem D. *Petrus* denunciat, ipſo actu plus ſatis impleverunt, non addentes videlicet virtutem virtuti, ſed horrenda crimina criminibus, cum fide juſtificante, gratiaq; Dei è diametro pugnantibus? Protoplaſtos puto è V.T. qui excuſſâ imagine Dei, conſiſtente in ſanctitate & juſtitiâ Eph. IV. 24. ſimul excuſſerunt Spiritum Sanctum, gratiamq; Dei perdiderunt. Gen. III. *Aaronem*, quem turpisſimum idololatriæ vitium à Deo avertit. Exod. XXXII. *Iſraëlitas* proſtratos in deſerto I. Cor. X. 5. *Saulem*, quem cum anteà Spiritus Sanctus gratiosè habitarit, I. Sam. IX. 12. poſteà tamen deſeruit, & exagitandum reliquit ſpiritui maligno I. Sam. XVI, 14. *Salomonem*, Deo prius admodum gratioſum, poſteà idololatram, II. Reg. IX. 15. *Davidem*, pariter quondam devotisſimum Jehovæ cultorem, poſteà homicidam & adulterum, II. Reg. XII. *Ninivitas*, à pœnitentiâ ſeriâ in priora peccata relapſos, Nah. I. E Novo Teſt. *Petrum*, renatum ſanè, & Chriſtum tamen ter abnegantem, Matth. XXVI. *Thomam*, poſt paſſionem planè incredulum, Joh. XX. *Simonem Magum*, jam credentem, & Philippo adhærentem, jam peſſimè deficientem Act. VIII. Excommunicatos deniq; à *Paulo*, &, ob naufragium fidei, diabolo traditos, *Alexandrum* & *Hymenæum* I. Tim. I. 19.

Deniq; *Conel. à Lapide* abut. I. Contra Veritatem Religionis Lutheranæ, verſu eodem: *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam evangelizavimus vobis, anathema ſit.* *Talis fuit*, inquiens, *Angelus, qui Lutherum docuit, & qui Zwinglium de euchariſtiâ inſtruxit, de quo ipſemet libr. de ſupplemento euchariſtiæ ſcribit, neſcire ſe an albus an ater fruerit: ſed hinc certum eſt atrum fuiſſe, illiq; q. novum evangelium, novam fidem*,

fidem, nova dogmata recepta fidei contraria afferenti ab Apostolo intentatum esse anathema. Syll. *Quacunq; Doctrina originem debet Angelo malo, ea est anathemate percutienda. Doctrina Lutheri & Zwinglii orig. debet Ang. malo.* E. R. Concedi haut ægrè de *Zwinglii* doctrinâ argumentum totum. Recenset Zwinglius Tom. II. fol. 256. informationem nocturni monitoris, & rationē probandi metonymicam significationem copulæ *Est*, in verbis cænæ, ita ut affatim adsignificet, quo loco tum illa habenda sit, tum quæ inde infertur sententia. *Mox* sc. *post editum Commentarium, cum coram Senatu, de abrogandâ Missâ, & de instituendâ novâ suâ Synaxi ageret, Scribam quendam acriter restitisse hoc præcipuè argumento, quod Zwingl. à perspicuâ Verborum proprietate discederet, & non satis certò & liquido probaret, Verbum EST in verbis Cænæ esse accipiendum pro significat. Exempla Luc. VIII. Semen est Verbum Dei: Matth. XIII. Ager est Mundus; esse valdè dissimilia; ibi enim præcedere parabolas, quarum explicatio per Verbum est tradatur: In Cænâ verò Dominica nil tale esse.* Hinc *Zwingl.* pergit: *Cum è Senatu nos recepissemus, cæpimus cogitare omnia, omnia revolvere, quo sc. proderemus exempla, quæ nullâ cum parabolâ conjuncta forent. Attamen aliud nihil exemplorum occurrebat, quàm quod in commentario proditum est, aut quod occurrebat, erat illorum simile. Cum v. 30. dies Apr. appareret, (vera narro, adeoq; vera, ut celare volentem conscientia cogat effundere, quod Dominus impertiit, non ignorans, quantis me contumeliis risibusq; exponam) Visus sum mihi in somnio multo cum tædio contendere cum Adversario Scribâ, sicq; ob mutuisse, ut quod verum scirem, negante linguâ beneficium suum, proloqui non possem. Qui me angor, (ut solent nonnunquam somnia fallaci illudere nocte, nihil enim aliud, quàm somnium narramus, quod ad nos attinet, tametsi leve non sit, quod per somnium didicimus) vehementer turbare videbatur, & ibi ἀπὸ μηχανῆς visus est adesse Monitor, (ater fuerit an albus, nihil memin*

mini, somnium enim narro) qvi diceret, qvin ignare responde ei, qvod Ex. XII. scribitur: Est enim Phase Domini. Protinus ut hoc Phasma visum est, simul expergiscor, & è lecto exsilio, locũ primum undiq; circumspicio, & de eo coram totâ concione pro virili diserο. Ubi satis superq; prodit spiritum atrum, manifestsimum crimen falsi. Nusquam enim citato cap. Ex. propositio reperitur, cui glossema Zwinglianum innititur: *Agnus est phase;* ubi ה est ponatur pro significat. Quinpotius ה est explicitè in fontibus non adhibitum, sed juxta ellipsin linguæ Hebrææ familiarem subintelligendum, in Verbis: פסח הוא ליהוה: significationem obtinet tertii adjecti, rationem, cur Judæi non isto saltem temporis articulo, sed imposterum quoq; lumbis accincti, præproperâ festinatione, agnum Paschalem comedere deberent, textu hanc reddente, quòd adsit, vel illuxerit Phase, Festũ recolendæ memoriæ transitus Domini destinatum. *Lutherum* verò quod attinet, negamus δὶς διὰ πασῶν minorem. Exaggeravit quidem Diabolus, in conscientiâ *Lutheri*, atrocitatem peccati, per celebrationem Misæ angularis, annorum 15. spatio commissi, non autem eum ob finem, ut illum de conditione Misæ informaret; utpote quam antea modò abundè perspectam *Lutherus* tenuit: sed ut ad desperationem adigeret. Ac licet mentiatur Diabolus, cum ex propriis loquitur, imò *Pater* sit *Mendacii*, Joh. VIII. 44. interdum tamen etiam vera quædam, de alieno, profert, pessimâ intentione, quò fallat & circumveniat simpliciores, falli ac decipi paratos. Sic ad desperationem homines sollicitaturus, objicit sanè antecedens immotæ veritatis: gravissimè peccasti, æternamq; condemnationem promeruisti. Ut sola neganda sic consequentia: E. tibi desperandum. *Diabolus est mendax*, scribit *Luth.* in

in Lib. de *Missâ angulari* Tom. VII. Viteberg. *cujus mendacia callidiora sunt & instructiora, quàm animus humanus assequi possit. Sic adoritur, ut semper arripiat aliquam solidam veritatem, quæ negari non potest: Adeò speciosè fucat suum mendacium, ut fallat cautissimos: talis est cogitatio illa, quæ Judæ cor percussit: Tradidi sanguinem justum, hoc Judas negare non potuit; sed hoc erat mendacium, quod desperandum sit de gratiâ Dei. Ergo non mentitur Satan cum accusat, ibi enim habet duos inconvincibiles testes graves, Legem Dei & nostram Conscientiam.* Atq; hoc pacto etiam in majus extulit, & invictis argumentis demonstravit horrendam Idololatriam & superstitionem, cujus reatum toties *Luther.* in se derivaverat, ipseq; ultroneâ voluntate agnoscebat: Ut ut voti sui eventum non fuerit consecutus cacodæmon. Audiamus Heroem nostrum porrò: *Non possum negare me peccasse, sed ibi mentitur Satan, quod ultra urget ut desperem. Confessus quidem sum coram Diabolo me peccasse ut Judam, sed verto me ad Christum cum Petro, Christum invoco, in Christum credo, qui meum peccatum delevit per sanguinem suum.*

II. Pro retinendâ Religione Pontificiâ v. 9. *Si quis vobis evangelizaverit, præter id, quod accepistis, anathema sit. Oriente Luthero,* ratiocinatur per dilemma, *Calvino, Mennone, & quovis alio Novatore, vel Ecclesia veraq; fides periit, vel non periit: hæc enim duo necessariò connexa sunt, Vera fides & Vera Ecclesia, adeò ut si vel in uno puncto, v. g. Sanctos esse invocandos; à Verâ fide aberraret Ecclesia, hæretica sit oportet, nec Ecclesia Dei, sed Sathanæ. Dico ergò oriente Calvino* (Luthero) *vel periit Ecclesia, vel non periit. Si periit, adeoq; periit à tempore Gregorii Magni, ut aiunt Novantes, ergo per 900. annos extincta fuit Ecclesia; ergò Mundus per annos 900. Verâ fide, religione, Sacramentis, Ecclesiâ salutaq; caruit; ergo Christus per annos 900. Sponsam suam deseruit; ergo æternum Christi regnum concidit; ergo erga Ecclesiam portæ inferorum prævaluere; ergò Calvinus* (Lutherus) *natus est extra Ecclesiam nec Ecclesiæ membrum fuit.*

fuit, sed infidelis, hæreticus, vel paganus; ergo à populo à mundo q. fidelis recipi audiriq; non debuit, sed tanquam infidelis ad ecclesiam Christi non pertinens contemni ac rejici. Si non periit, sed in Verâ fide & Ecclesiâ natus, baptizatus, educatus, institutus Calv. (Lutherus) *cum ergo in Catholicâ, Apostolicâ, Romanâ Ecclesiâ natus, baptizatus, educatus, institutus fuerit, illa utiq; Vera erat Ecclesia, veram habens fidem; ergo cum ab eâ discesit ac segregavit se per nova dogmata Calvinus* (Lutherus) *à Verâ se fide & Ecclesia separavit, ab eaq; apostatavit.* R. ludere Jesuitam fallaciâ à *Dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Equidem cum Apostasiam Ecclesiæ Romanæ accusant, & atro carbone notant ὀνίλως Catholici, nequaquam se reperisse, quod pueri solent in fabâ; sed nodum necti plusquam Gordium, de aliquo caussæ morbidæ præsidio supra quam dici potest solliciti hodierni Papæ alumni existimant, si quæratur: *Ubinam gentium Ecclesiam tanta eclipsis Romanæ reliquerit?* Cum enim huic soli cætui magnificum Ecclesiæ titulum vendicent, persuasissimum sibi tenent fieri non posse, ut hæreseos ullius maculam illa contrahat, quin Ecclesia Universa animam agat, & extinguatur. Sunt etiam, qui totalem Ecclesiæ totalis interitū ἐν τοῖς ἀδυνάτοις minimè deputandum arbitrantur, *Sociniani* sc. & *Arminiani*, fidejubente *Socino* de Eccl. resp. ad. 7. scrupul. p. 37. *Smalc.* refut. thes. Frantz. p. 284. *Ostorodo* Instit. Germ. c. 42. *Episcopio* Disp. prip. de Eccl. th. 10. 11. Nec pudori habent in erroris ejusdem societatem Nostrates adsciscere nonnulli Pontificiorum. Quemadmodum autem ὁμοψηφίας hujus culpâ ab ipso exolvimur Jesuitarum Hercule, *Bellarmino*, Lib. III. c. 13. *Notandum est*, inquiente, *multos ex nostris tempus terere, dum probant, absolutè Ecclesiam non posse deficere. Nam Calvinus & ceteri hæretici* (Lutherani) *id concedunt:* ita quam ad veritatis arcem unicè hîc ducere perspicimus, mediam ingressi viam, tam Scyllæos scopulos, tutissimè præterve-

tervehimur, quàm Charybdis ſyrtes, adeoq; nec in ὑπεροχῆς, nec in ἐλλείψεως ſymplegada impingimus, adhibito diſtinctionis accuratoris temperamento, inter *Formam Splendoremq;* Eccleſiæ *Internum*, & *Externum*. Hunc ſi ſpectemus, ſitum in publico liberoq; Religionis exercitio, ſincerâ verbi Divini prædicatione, & legitimâ Sacramentorũ adminiſtratione, cauſsã non dixerim⁹, quin extingui penitus Eccleſia vera aliquando poſsit, adeò ut in nullo terrarum angulo, â Gadibus usq; ad auroram & Gangem, cætus aliquis ſe offerat integer omni ex parte Doctrinæ cæleſtis, & à contagione corruptelatum purus; ſeu concio aliqua in ſenſus incurrens, quæ limpidis omnino Iſraëlis fontibus fruatur, ad defæcatum Verbi Divini præconium, & diſpenſationem venerandorum Sacramentorum Inſtitutioni Autoris planè pleneq; conſentaneam confluat: imò ipſo etiam actu non minus ſub *Papatu*, quàm ſub *Arianiſmo*, *Phariſaiſmo*, *Baaliſmo*, ejus monetæ Eccleſiam in Utopiam migraſſe, indubitanter aſſeveramus. Perennat tamen in Eccleſiâ *Splendor Internus*, Gratiæ & Fidei, de quo Pſalm. XLV. ℣. 13. כל־כבודה בת־מלך פנימה: Conſtat ſibi ſemper *Forma Interna*: diſſolvi neſcit myſticæ neceſsitudinis vinculum, quo nos viva & ſalvifica fides Capiti, Chriſto, adunat, eumq; in cordium noſtrorum thalamos deducit Eph. III. 17. Sicut hodie non quidem publicè patet, ut digito monſtrari poſsit, & dicier hæc eſt, Eccleſia pura, ſeu *Lutherana*, in *Bohemiâ*, *Moraviâ*, & ditionibus quibusdam *Sileſiæ*; templis ereptis, viris quondam S. Miniſterio fulgentibus in exilium pulſis, & omni ademptâ libertate Religionis: manet nihilominus privatis clauſa carceribus, & perſeverat adſpectui ſubtracta, ut ſtatus ſaltem ſui mutationem quampiam ſubiverit, non prorſus è medio ſublata

sit: nullum sanè γνώρισμα ad illius notitiam mortalibus reliquerit ἐχαῖων illud ἔχαον, tyrannis: sed Numinis interim sui veri cultores nunquam fugiant Deum II. Tim. II. 19. Quamvis enim conventibus publicis nostratibus ibidem interdicatur, certius nihilominus, quàm quod negari queat, non minimam illorum multitudinem ultro citroq; inveniri dispersam. Atq; hoc est, quod Salvator pollicetur Matth. XVI. 18. Ut nunquam pseudoprophetæ & hæretici sic increbrescant, quin millia aliquot fidelium supersint, qui poplitem religiosum Baali flectere constanter renuerint; adeoq; legitimo tramite & inoffenso pede, etiam sub Papatu, ad salutem semper contenderint *Edomitæ, Moabitæ,* & *Primitiæ filiorum Ammon,* Dan. XI. 41. hoc est, interprete Megalandro *Luthero,* tum purpurati *Martyres*, qui pro illustrandâ Gloriâ Dei, confirmandâq; veritate olympiacâ, mira fuerunt ultrò perpessi: tum *Christiani simpliciores,* & malarum artium rudes, qui, quibus semel imbuti fuerunt Religionis Orthodoxę rudimentis, & παραδότῳ ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων λόγων, ut unicæ credendorum Normæ ac Cynosuræ, strictè ac indivulso nexu adhæserunt, vel certè in fati limine jam constituti, ita de operum suorum meritis desperaverunt, ut respirarint in Christo, ejusq; vulneribus se totos involverint: tum jam jam per lustricum illud lavacrum renati *infantes,* qui prius interesse rebus humanis desierunt, quàm corrumpendos animos aliis traderent. Hoc depictum voluit venustâ imagine mulieris, fugâ sibi salutem quærentis in deserto, ibidemq; locum reperientis divinitus præparatum, Apocal. XII. 6. Hoc graphicè adumbrat mulieris illius pedibus subjecta figura Lunæ, jam patentis, jam latentis; jam accrescentis lumine, jam decrescentis. Hoc loquuntur apertissimè propagatæ

per

per interjectum papatum, ad nostra usq; tempora, & literarum Sacratiorum Pandectæ, & Catechismi partes singulæ, & Textuum Dominicalium pericopæ. Quoties enim textus aliquis Biblicus circumfusæ panegyri prælectus, & juxta analogiam fidei, ad παραίνεσιν Apostolicam Rom. XII. 6. explicatus fuit, toties Ecclesiæ veræ confessio sonuit, non aliam sanè foventis doctrinam, quàm quæ Scriptis Propheticis & Apostolicis continetur; totiesq; in officinâ Spir. S. opera Supernæ τῆς παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως ferbuerunt, Es. LV. 10. Atq; huic confessioni acquieverunt quamplurimi, qui traditionum humanarum & additamentorum securi, puriores longè retinuerunt aures lingvis variorum Doctorum, ac vixerunt quidem *sub* Papatu, sed non fuerunt *de* Papatu. Hoc comprobatum dant per seculorum singulorum decursum *Testes Veritatis*, quorum qui inire numerum sategerit, integram post Homerum Iliada scribendam susciperet. Imò nisi tam fædè per *Indices expurgatorios* & *Censuras* truncata & mutilata, hodierna Scriptorum Romanensium Opera in lucem prodirent, nemo non sine Oedipo conjectore animadverteret, verisimè August. Contessionem negare, se ab universâ Ecclesia Romana recessisse, quantum è Scriptoribus nota sit. Conferantur posteriores librorum *Alphonsi à Castro, Ambrosii Catharini, Cardinalis Cajetani, Claudii Espencæi, Conradi Clingii, Dominici à Soto, Didaci Stellæ, Alberti Pihgii, Ruardi Tapperi, Melchioris Cani, Johannis Feri, Georgii Wicelii, Francisci Zumel, Francisci Sylvii, Didaci Nuguo, &c.* cum prioribus, & res omnis in propylæo sita erit. Taceo, quod ex ipsis actis Concilii Tridentini publicæ quędam Episcopocum protestationes, quas inter illa eminet, quæ confirmationem decretorum Concilii à Romano Pontifice peti noluit, hodie prorsus sint expunctæ.

III. Pro vita Monastica, v. 17. *Non acquievi carni & sanguini. Moraliter*, scribit, *hoc S. Pauli exemplum sequatur is, qui à Deo ad Apostolatum, ad Religionem, ad perfectionem Evangelicam, ad heroica Opera vocatur, ut non acquiescat carni & sanguini, sed statim abeat ad id, ad quod vocari se sentit.* Syll. *Omni Vocationi Divinæ est obtemperandum. Votatio ad Religionem, & Perfectionem Evangelicam est Divina. Ergo ei obtemperandum.* Et sanè largiremur nos ipsi ambabus manibus totum, nisi ab eo diceretur, de cujus sensu nostat. Cui enim calcem in Deum mittere, ad Religionem Christianam & regnum Gratiæ vocantem ac invitantem, citra dispendium salutis, licet? Nota insuper vox Salvatoris Matth. V. 48. *Estote perfecti, sicuti Pater vester cælestis perfectus est:* & Apostoli Heb. VI. 1. ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα. Nec extingvere decet, si quam accendat singularem & heroicam προθυμίαν ac alacritatem, arduum aliquod opus aggrediendi, Deus, I. Thess. V. 18. sed ἀναζωπυρεῖν II. Tim. I. 6. Constat autem, in Papistarum lexicis, appellationem *Religionis, Vitæ Monasticæ*, titulumq; *Perfectionis Evangelicæ* ac *Heroicæ*, observationi *Consiliorum* quorundam, quæ pro *Evangelicis* venditant, hoc est, *Castitatis, Paupertatis*, & *Obedientiæ*, impingi, non omnes omnino homines, illorum judicio, sub pænâ peccati mortalis obligantibus, sed traditis saltem, vel, ut loqui *Bellam.* gestit Lib. de Monach. c. 7. *non imperatis à Christo, sed demonstratis; non mandatis, sed commendatis* perfectioribus, per opera indebita supererogationis, ad singularem beatitudinis prærogativam, in vitâ alterâ, obtinendam adspirantibus, ut Monachis & Monialibꝰ, regulæ huic solenni voto obstrictis. Quemadmodum *Stoici* olim aliis præceptis virum bonum in genere, aliis perfectum & sapientem, κατόρθωμα quoddam præstiturum, supra communem hominum sortem, in-

informandum censebant. Quorum hyperbolæ, mox ab Apostolorum ætate in Ecclesiam invectæ ab aliis, qui, cum in Philosophorum scholis enutriti prius essent, post conversionem, omnem movebant lapidem, ut Philosophorum placitis doctrinam Ecclesiæ accommodarent, rudimenta quædam & q. incunabula errori huic Pontificiorum subministrarunt. R. proinde ad Sylog. sensu Papistico intellectum, per inficiationem Minoris. Horrent quippe de Statu & conditione Religiosorum, quos in Monasteriis suis alunt, & tantopere venerari ac suspicere jubent, Pontificiorum dogmata, tot & tam tetris superstitionibus, ut rectissimè huc applicetur Oraculum Gal. V. 8. ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ καλέντος ὑμᾶς: sive, ad hoc vitæ genus, à Deo, heroico quodam impetu, neminem vocari: sed suâ quemq; fallaci opinione, vel sugestione etiam Diaboli maximè carnali, allici ac invitari, liquidò pateat. Cum enim *rara avis in terris, nigroq; simillima cygno* Continentiæ donum sit, ad capiendum verbum hoc: *Non expedit nubere;* Matth. XIX. 12. deficiente autem illo, in remedium adversus ustiones Deus ordinarit conjugium, I. Cor. VII. 9. Pontificii regulis suis Monasticis nil agunt aliud, religiosis & clericis indiscriminatim omnibus necessitatem cælibarus imperando, quàm ut Monasteria in claustra perditorum hominum, & officinas spurcissimarum libidinum convertant. Cumq; experientiâ teste mores animi sequantur temperamentum corporis, quod nemo in virium suarum potestate situm habet; idq; cum annis mutationes varias experiatur, ut quandoq; inclinationem maximam eam ad rem aliquis sortiatur, à quâ prius planè fuit alienus; & Apostolus disertè quemvis etiam præditum Continentiæ dono velit retinere ἐξουσίαν περὶ τοῦ ἰδίου

ἰδίᾳ θελήματος. I. Cor. VII. 37. Pontificii adhæc votum cælibatus perpetui, ad quod requirunt voluntatis intentionem, rationis deliberationem, cordis promissionem, promissionis testificationem, seu confirmationem Deo factam, interpositâ obtestatione Divini Nominis, & additâ sive explicitè, sive implicitè execratione, si non servetur, â Clericis exigendo, non possunt non laqueum periculo plenissimum Conscientiis injicere, contra interdictum v. 35. Cum deniq; χάρισμα Dei prædicetur vita æterna Rom. VI. 23. gratia verò nullius operis ferat concursum, IV. 4. XI. 6. Pontificii non tantùm opera Religiosorum meritoria fingunt Vitæ æternæ, ex parte Monachorum ipsorum, juxta formulam absolutionis Monasticæ: *Rigor ordinis, & gravamen religionis cedat tibi in remissionem peccatorum:* verum etiam satisfactoria pro pœnis peccatorum, quàm propriorum, tam alienorum; adeoq; præter superfluum sangvinem Christi, & passiones Martyrum, egregium substernentia fundamentum *Indulgentiis*, applicandis deinde, autoritate Pontificis Romani, illis, qui subsidio hoc indigent, & redimere sancto denario satisfactiones, sive in præsenti seculo, sive in purgatorio præstandas, avent. Ut vota Religiosorum apud pontificios, κατ' ἀντίφρασιν ita nuncupatorum, Decalogum inversum jure meritoq; vocarit in Lib. de votis Monast. *Lutherus.* Nam *Contra primum præceptum, ex cælibatu faciunt meritum justitiæ & vitæ æternæ, in quo fiduciam collocant. Contra secundum, in vanum assumunt Nomen Dei in vovendo. Et cum solius Christi nomen nobis datum sit, in quo oporteat nos salvari, ipsi hoc nomen votis suis blasphemè imponunt. Contra tertium, peculiarem cultum, ab hominibus sine mandato Dei institutum, ex votis suis faciunt. Contra quartum docent, sine consensu & contra voluntatem parentum,*

tale

tale genus vitæ suscipi posse, in quo ab officiis, parentibus juxta mandatum Dei debitis, absolvuntur. Per calcatum, ajunt, perge Patrem. Sola in hoc genere Pietas est, esse crudelem. Contra quintum peccant fugiendo vitam communem. Contra sextum, totam Sodomiam & Gomorrham ex cineribus resuscitant. Contra septimum, vivunt sine labore, in otio, abundantiâ, & saturitate, sicut Sodomitæ, quibus etiam fructibus suis respondent, Ezech. XVI. Contra octavum, dicunt falsum testimonium de meritis cælibatus, & contra castitatem & sanctitatem conjugii. Contra nonum & decimum, docent ustionem non esse peccatum.

ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΕΣ

I. occutrit inter v. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neq; per hominem &c.* & Act. IX. 17. *Saule frater, Dominus misit me, Jesus visus tibi in via, quâ veniebas, ut videas, & implearis Spiritu S.* Syll. *Quicunq; vocatus fuit per Ananiam, is non obtinuit vocationem immediatam. Paulus vocatus fuit per Ananiam,* E. Resp. negando minorem. *Ananias* enim nihil egit aliud, quàm ut vocationem *Pauli* externo testimonio, per impositionem manuum, & collationem baptismi, confirmaret, visumq; illi restitueret; ac voluntatis divinæ, tanquam internuncius, uberiorem significationem ederet, de qua v. 15. *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus, filiisq; Israël:* Postquam *Paulus* triduo ante, quàm ad *Ananiam* duceretur, jacuisset cæcus, sine cibo & potu, edoctus interea ab ipso CHRISTO, in Academia Paradisi, ἄῤῥητα ῥήματα, II. Cor. XII. 4.

II. Inter v. 3. *Gratia vobis & pax:* & Matth. X. 34. *Non veni mittere pacem, sed gladium.* Syllog. *Quibuscunq; Salvator minatur gladium, illos non donat pace. Christianis minatur Salvator gladum.* E. Respons. promit *Salvator* ipse, optimus sui interpres, Joh. XIV. 27. *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat.* Distinguendum proinde inter pacem

cem spiritualem, & corporalem. De hac loquitur major. Et sic nos concedimus argumentũ totum. Ut n. non de mundo, sed spirituale & mysticũ est universum Christi Regnum Joh. XVIII. 36. adeoq; spiritualis thronus (*dextra majestatis divinæ* Ps. CX.) spirituale sceptrum (*judicium & justitia*, Ps. XLV. 8.) spirituales subditi Rom. VIII. 10. spiritualia arma, quibꝫ idipsum fundatur, dilatatur, & propugnatur II. Cor. X. 4. sic spiritualia etiam existunt beneficia, quæ in clientes erogantur, etsi illos mundana miseria & calamitas multiplex exercitos teneat.

III. Inter v. 4. *Ut liberaret nos à præsenti seculo malo:* & Hebr. I. 3. *Fide intelligimus aptata verbo esse secula;* Nec non Gen. I. 30. *Vidit Deus omne quod fecit, & ecce erat valdè bonum.* Syllog. *N. creatura Dei est mala.* *Seculum præsens est creatura Dei.* E. Resp. per limitationem prædicati Majoris: Nulla creatura DEI est mala καθ' αὐτό. Sic concedimus totum. Quod enim malum evadat seculum præsens, planè fit κατὰ τὸ συμβεβηκὸς, culpâ hominum, creaturis Dei optimis pessimè abutentium. Unde στεναγμὸς ille oritur, & ardentissimum desiderium liberationis à tantâ vanitate abusus humani, ut si vel ullum concipere affectum, vel exprimere fando nobisq; patefacere irrationales possent creaturæ, indubitanter asseveraturæ essent, satius se ducere εἰς δουλότητα redigi, quàm vanissimæ & indignissiæ servituti malignorum hominum diutius subjacere. Rom. VIII. 10. Unde 2. distinguimus inter seculum *substantialiter* & *accidentaliter* acceptum. Valet minor, & syllogismus totus, si priorem spectemus seculi sensum, quo dicit systema è cælo & terrâ, cæterisq; corporibus illorum peripheria concluſis, coagmentatum. Nam & *cæli enarrant gloriam Dei,* Ps. XIX. 1. & plena est terra bonitate Dei Ps. XXXIII. 5. Sensu autem posteriori designat præ-

præsentem seculi statum corruptissimum, vel vitiosos hominum mores & actiones, quas cum Diabolus introduxerit, princeps hujus seculi vocatur, Joh. XIV. 30. & Joh. V. 19. *Mundus* perhibetur *situs in maligno*, h. e. Diabolo; quod illi se totum, tantumq; quantus est, à fronte & à tergo, addicat & emancipet, ejusq; agitatus ad arbitrium, peccata peccatis cumulet, donec cum ipso in æternam perniciem præceps ruat. Ita *Petrus* Act. II. 4. *Servamini ex natione istâ pravâ*, dehortaturus novellos Christianos à consortio impiorum Scribarum, & Pharisæorum, inanem & fallacissimam sanctitatis speciem præ se ferentium. *Quò enim homines sunt sapientiores, justiores, & sanctiores extra Christum, hoc plus nocent Evangelio. Candidus Diabolus, qui impellit homines ad spiritualia peccata, (sapientiam & justitiam impiorum, pugnantem contra primam Tabulam) longè nocentior est nigro, qui tantum ad carnalia impellit, quæ etiam mundus agnoscit esse peccata, ut inobedientiam erga parentes & Magistratus, adulteria, scortationes, avaritiam, furta, cædes, invidiam, virulentiam &c.* præclarè hîc ait *Lutherus.*

IV. Inter *v.* 3. *Ecclesiis Galatiæ* & *v.* 6. *Miror vos deserto eo, qui eos vocavit, in gratiam Christi, transferri in aliud Evangelium.* Syllog. *Qvic. divortium fecerunt ab Evangelio Christi, non merentur appellationem Ecclesiæ. Galatæ divortium fecerunt ab Evangelio Christi. E.* Respond. limitando majorem: Quicunque divortium fecerunt ab Evangelio Christi *ad unum omnes*, non merentur appellationem Ecclesiæ. Sic negatur minor. Etsi non minima illorum multitudo extiterit, quos Pseudapostoli casibus suis irretiverunt; tamen nec defuere, quibus pretiosissimum κειμήλιον sincerioris doctrinæ Apostolicæ, curæ semper cordiq; manserit: Uti tempore Baalismi, & in Papatu plurimi vixerunt, qui non fuerunt *de* Baalismo, vel *de* Papatu. Quid? quod titulus *Ecclesiæ*, qui *Galatis* impingitur, cum collectivum

quid & aggregatum menti ingerat, tacitam contineat dissensionum, quæ intervenerunt, exprobrationem, seriamq; commonefactionem ad redintegrandam concordiam, iniquissimâ scissione ruptam; siquidem vetamur deserere συναγωγὴν nostram Hebr. X, 25.

V. Inter ℣. 8. 9. *Etiamsi angelus de cœlo aliud Evangelium annunciaverit, anathema sit:* & II. Cor. XI, 4. *Si veniat, qui aliud Evangelium prædicet, quàm accepistis, rectè illum toleraveritis.* Syllog. *Quicunq; rectè tolerantur, non sunt condemnandi. Prædicantes aliud Evangelium rectè tolerantur.* E. Resp. per distinctionem inter *Rem*, & *Rei modum*. De *modo* intelligenda Minor, & conced. totum. Modo præstantiori si quis Mysteria Evangelii edissereret, se prohibiturum esse Apostolus negat, quin recipiatur. At hìc per aliud Evangelium intelligit doctrinam reipsâ diversam, & planè novam, quâ Evangelium verum, de gratuitâ peccatorum remissione, non nisi per Christum impetrandâ, fœdissimè adulteratur & evertitur.

VI. Inter ℣. 10. *Si hominibus placerem, Dei minister non essem:* & I. Cor. X, 33. *Ego per omnia omnibus placeo.* Syllog. *Quicunq; per omnia omnibus placet, est omninò* ἀνθρωπάρεσκος. *Paulus per omnia omnibus placet.* E. Resp. limitando majorem: Quicunq; per omnia omnibus placet, *in rebus promiscuè licitis, & illicitis*, est omnino ἀνθρωπάρεσκος. Sic negatur minor. *Si fieri potest*, inquit *Hieronymus, ut pariter Deo & hominibus placeamus, placendum est hominibus; sin autem non aliter placeamus hominibus, nisi Deo displiceamus, Deo magis, quàm hominibus placere debemus.*

VII. Inter v. 17. 18. *Non redii Hierosolymam* (post conversionem) *ad eos qui ante me fuerunt Apostoli, sed abii in Arabiam ac denuò reversus sum Damascum. Deinde tribus pòst annis redii Hierosolymã ἱστορῆσαι Petrum:* & Act. IX, 25. 26. *Accipientes discipuli* (Damasci) *demiserunt per murum, submittentes in sportâ. Cum autem venisset Paulus in Hierusalem, tentabat se jungere discipulis &c.* Syllog. *Quicunq; Damasco*

masco rectâ viâ fugit Hierosolymas, is Damasco se non contulit in Arabiam, multò minus hîc & in Syria integrum confecit triennium, antequam Hierosolymis Apostolos adiret. Paulus jam conversus rectâ fugit Hierosolymas. E. Quid Respondendum? Non videtur res carere nodo. *Est historia perpetua, quam Paulus hic recitat, in quâ concordandâ sese anxiè torquet, & multũ laborat Hieronymus. Ego non laboro, neq; multum sollicitus sum de eâ concordandâ, sed tantum hic considero, quod Pauli sit consilium & quò spectet, scribit Lutherus,* in inquirendo, copioseq; dilucidando primario Epistolæ scopo occupatus. Etsi hîc quoq; facilis concordatura sit scriptura, modò distingvantur tempora, & limitetur prædicatum Majoris: Quicunq; Damasco rectâ fugit Hierosolymas, is Damasco se prius non contulit in Abrabiam &c. quàm Apostolos adiret, sc. ἐν αὐτῷ τῷ δρόμῳ *fugæ Hierosolymas directæ.* Sic concedimus totum. Persecutio enim, quam Damasci Paulus passus fuit, & hanc subsecuta fuga ad Hierosolymitanam urbem, non excepit è vestigio ipsius conversionẽ, & primum, quod Damasci edidit, functionis Apostolicæ specimen: Sed præmiavit illâ, loco mercedis Apostolicæ, post aliquot demum annorum curriculum, ingratus mundus labores Pauli, in diversis regionibus feliciter exantlatos, cum inde Damascum redux factus esset. Hinc *Lucas*, cum retulisset *Paulum* docuisse Damasci, addit: *Post multos dies judæos nefarium consilium inivisse*, de Paulo internecioni tradendo, quod ubi resciverit, fugâ sibi salutem quæsiverit. Sic Act. XXII, 17 18. ipse testatur *Paulus*, se quidem Damasco Hierosolymas (inter Damascum & Arabiam interjectas) abiviſse, jamjam eb *Ananiâ* confirmatum, sed precationem peragentem in templo, & ἔκστασιν abreptum in mandatis accepisse, ut pedem ex urbe, verbum salutis malitiosè repudiaturâ, efferret. Unde factum, ut in isto transitu Hierosolymarum, cum nullo Apostolo sermones sociare potuerit.

ἘΠΊΜΕΤΡΟΝ.

GRandem profanatorum Sacramentorum dicam Ecclesiæ Orthodoxæ Minister meretur, qui infantem utroq; parente Calviniano natum, utroq; etiam pertinaciter protestante, se suâ in hæresi subolem educaturum esse, vel baptizat ipse, vel baptizandum Lutherano alteri tradit: quiq; ullum notorium & pertinacem Calvinianum sive admittit ad S. Synaxin, sive admittendum esse modis omnibus contendit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78807136X/phys_0055
DFG

Repugnat enim protestatio hæc adversa fronte S. Baptismi scopo, stipulationis illius bonæ Conscientiæ cum DEO, *I. Petr. III. 21. per quam solenne quasi Homagium præstatur, & Infantem, perlustricum lavacrum, jam jam Christianum renasciturum,* ἀναδόχοι *Deo totum consecratum eunt, Deoq; fidem, illius loco & nomine, cunctis sponsionum verbis adstringunt; Diabolo autem & OMNIBUS OPERIBUS ejus renunciant: DEO lege amœbæâ, sub hac obsequii constantis conditione, gratiam paternam, & protectionem benignissimam, adversus hostium quorumcunq; insultus, prolixè pollicente. Operum verò Diaboli,* Patris mendatii, *Joh. VIII. 45. ambitu ut hæresis quælibet, sic etiam Calvinismus comprehenditur; sive crassiori pingatur Minervâ, sive subtiliori, modò nervus retineatur ipse. De quo quidem consentientes per omnia sensus alere Calvinianos ad unum omnes, recentiores æquè ac veteres, luce patet meridianâ clarius. Exemplo sit, ne abeamus longius, articulus de Personâ Christi, & Communicatione Idiomatum, maximè fundamentalis I. Cor. III. 11. ut oppugnari malitiosè, absq; manifestissimo hæreseos reatu, nullatenus queat. Nemo prorsus est Calvinianorum pertinacium, nemo est, qui vel mutuam concedat duarum Naturarum* περιχώρησιν, *per quam nuspiam caro est extra* λόγον, *nuspiam* λόγος *extra carnem, & in quâ formalis ratio unionis hypostaticæ consistit; vel* realem *Majestatis Divinæ, hoc est, Omnipotentiæ, Omnipræsentiæ, Omniscientiæ &c. Communicationem (qualemcunq; jactet Confessionem, sive* Marchiaca *illa sit, an. 1614. in lucem edita, sive* Lipsiensis *an. 1631. literis consignata, sive* Thorunienſis, *anno 1644. exhibita) in Naturâ Christi Humanâ agnoscat, à qua universa Officii Mediatorii executio dependet. Ab hac enim si foret, nunquam Justitiæ Divinæ, infinitis modis per peccata nostra offensæ, modo pariter infinito sufficiens præstari Satisfactio, nunquam,* ἰσορρόπιν, *pro nobis redimendis, persolvi pretium potuisset, sed in æternæ miseriæ barathro relinqui nos oportuisset.* χαρίσματα *finita & habitualia, quibus solis Hypostatica Unio humanam Salvatoris Naturam, Calvinianorum judicio, donavit, huic tam arduo negotio peragendo*

gendo neqvaqvam sufficiunt; qvinpotius talem Calviniani introducunt CHRISTUM, â qvo Christianus denominari B. Lutherus noluit. Finitè qvippe & Infiniti nulla est Geometrica proportio, qvam tamen exactissimam Justitia Divina reqvirit. Ut verissimè iterum Lutherus scribat in Confess. Min. Ut maximè fanatici (Zwingliani) glorientur, quod hunc de Personâ Christi articulum credant, tu tamen noli ipsis habere fidem: certò enim mentiuntur. Imò qvò plus subtilitatis, nitoris, allicientis gratiæ & veneris, dibaphi ac purpurissi virus illud infernalis viperæ, Calvinianorũ, qvandoq; ὅμοια λαλέντων, ἀνόμοια φρονέντων, hæresi afflatum, præsefert, eò citius hæc â simplicioribus & paratis decipi imbibitur, ideōq; eò detestanda magis est, & castiganda acrius; eò etiam fidei nostræ commissæ oves monendæ fidelius, ut â noxiis illis pascuis qvàm solertissimè sibi caveant. Excusandis, extenuandis, colorandis, emolliendis Calvinianorum erroribus incumbere, nolle scapham scapham, ligonem ligonem appellare, ad tuendam gratiam secularem, est peccatis hominum pulvinar subjicere, Diabolo in angelum lucis se transformanti abblandiri, & brachia pandere, miseras oves præsentissimo animæ periculo, proditoria fraude, exponere, claudicare, cum Baalitis, in utramq; partem, &, neglectâ justâ increpationis severitate, neq; calidum, neq; frigidum, indeq; ex ore Domini evomendum Apoc. III. 16. Speculatorem cœcum, canem mutum Es. LVI. 10. cœlestibus olim Hierosolymis excludendum Apoc. XXII. 15. se præbere. Nefas itidem ad S. Eucharistiam admittere ullum Calvinianum notorium, ubicunq; locorum hæresin suam collegerit. Generales enim sunt, & ad omnes omninò Calvinianos se extendunt, rationes, qvarum impulsu, γνήσιοι Lutherani Sectarios hosce S. Cænà ὁμοθυμαδὸν arcent. Qvicunq; se non probavit prius, num sit in fide II. Cor. XIII. 5. adeoq; non discernit satis Corpus Christi, hoc est, non credit, ἀδιακρίτως illud cum pane consecrato esse conjunctum, &, mediante hoc, uno eodemq; actu manducationis Sacramentalis, unoq; & eodem organo, accipi à Communicantibus singulis, dignis promiscuè & indignis, manducat idipsum ad judicium I. Cor. XI. 19. Qvotusqvisq; autem Calvinianorum id credit? Cui igitur Calviniano aliter porrigi S. Cæna poterit, qvàm ad judicium & condemnationem, certò certius incurrendam, nisi peccati etiam non agniti deprecatio accesserit, ê Ps. XIX. 13. & culpæ, cui obnoxiam cervicem illegitima S. Cænæ dispensatio & usurpatio perse reddit, veniam

am fides, aliunde accensa & confirmata, impetrarit? Protestari, se simplicem adhibere fidem verbis Christi: Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum; *& nihilominus manducationem Corporis Christi Oralem* δὶς διὰ πασῶν *inficiari, est manifestissimà turpissimâq; contradictione in adjecto se involvere; cum juxta* τὸ ῥητὸν *non magis liceat manducare absq; ore, quàm videre absq; oculis, audire absq; auribus, olfacere absq; naribus. Proinde si in viam veritatis reduci Calvinianus nequeat, sed informationi omni pertinaciam anteponat, res suas sibi habeto, juxta* παραίνεσιν *Apostolicam Tit. III. 10.* Hæreticum hominem, post unam & alteram correptionem, devita. *Nostrarum partium non est Sanctum objicere canibus, vel margaritas porcis. Matt. VII. 6. Adhæc pariter adversatur Calviniani alicujus notorii (de occultis non judicat Ecclesia) admissio ad S. synaxin ipsius scopo. Symbolum videl. præbere debet, &* διακριτικὴν *tesserã cætus orthodoxi ab heterodoxo.* Unũ Corpus multi sumus, quia de uno pane participamus *I. Cor. X. 17. Itaq; cum Calviniani, per hæresin suam,* exiverint ê nobis *I. Joh. II. 10. & priscam* συναγωγὴν *malitiosè deseruerint, contra interdictum Heb. X. 20. suà etiam ipsorum culpâ non minus beneficiis Ecclesiæ nostræ propriis, quàm illius consortio, sese excludunt: nec digni sunt, qui ad S. Eucharistiam prius admittantus, quàm erroribus suis pestilentissimis, atq; hos inter illi quoq; ipsi, quem de S. Cænà fovent, nuncium miserint. Si ideò beneficio S. Synaxeos frui Calvinianus aliquis mereretur, quod antehac in Ecclesià nostra natus, baptizatus, & educatus fuerit, utiq; nec denegare hanc integrum foret Pontificio, Wiegeliano, Anabaptistæ, Sociniano, modò ejusdem desiderio flagraret, ac itidem Ecclesiæ quondam nostræ per baptismum insertus, hæresi a. sua alibi infectus esset, utut* παλινωδίαν *canere constanter renueret. En* στοϊκῶν παραδόξων παραδοξότερον, *hoc est, verè Calvinisticum & Syncretisticum* παράδοξον, ἄλογον, ἄτοπον, ἀσύστατον!

Capitis II.

Partes duæ sunt, novi *itineris Hierosolymitani narratio*, & *nostræ coram DEO Justificationis descriptio*. *Itineris* sui *Paulus* recenset *Circumstantias, Caussas*, & *Consequentia*. *Circumstantiæ* tres designantur, *Loci, Temporis*, & *Personarum*. ℣. 1. Ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, πάλιν ἀνέβην εἰς Ἱεροσόλυμα μετὰ Βαρναβᾶ, συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον. *Tempus* nempe fuit annus decimus quartus ab illo triennio, quod in Arabiâ & provinciis finitimis docendo consumpserat, ut peregrinatio hæc incidat in annum Conversionis *Pauli* decimum septimum, quo augustissimum Concilium Apostolicum, quorumcunq; Conciliorum legitimorum norma & forma, celebratum fuit, cujus processus & Conclusio refertur Act. XV. *Locum*, ad quem iter hoc directum fuit, rursus præbent *Hierosolymæ*, Conventui totius Senatus Apostolici tunc destinatæ. *Personæ* comitatu suo *Paulum* munientes fuerunt, *Barnabas*, Judæus, *plenus Spiritu S. & fide* Act. XI. 24. individuus *Pauli* Achates, adeoque testis rerum inter gentes gestarum ἀυτόπτης καὶ ἀξιόπιστος; & *Titus*, adolescens Græcus, postea ad Episcopatum Cretensem evectus, documento reali, communem Apostolorum sententiam, de cessante necessitate Circumcisionis in Test. N. comprobaturus, *ut, si quod de actis Pauli haberetur scandalum, horum testimonio tolleretur*, quemadmodum *Ambros.* loquitur. Nam *ex ore duorum aut trium testium confirmatur res omnis* Deut. XIX. 15. Matth. XVIII. 16. *Caussa* vel *Impulsiva est*, vel *Finalis*. *Impulsiva*, singularis *revelatio*, v. 2. ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν, cujus modus specialior hic non determinatur, esse autem multiplex potuit, scil. vel manifesta visio, ut Act. XVI. 9. *Visum per noctem conspectum est Paulo; Vir Macedo quidam adstabat precans eum, & dicens, Transiens in Macedoniam succurre nobis;* Vel vox cælitus demissa, ut Act. X. 13. *Et extitit vox ad eum*, (Petrum) *Surge Petre, macta & ede;* vel tacitus quidam impulsus. *Finis* duplex, *Proximus*, & *Remotior*. *Proximus*

Resp. Martinus Silamarus, Gryp. P.

mus, *Doctrinæ Paulinæ* cum Apostolis ceteris *Collatio*, ἡν ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι, κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι (scil. εἶναί τι, ut vers. 6. nempe στῦλοι Ecclesiæ v. 9.) ne quid diversi in medium videretur attulisse. Sicuti Act. XV. in Synodi confessu, *Paulus* & *Barnabas* commemorant felicem ministerii sui inter gentes successum, aliquot signis & prodigiis illustrem. *Quod vero hîc seorsim exposuit Paulus Evangelium eis, qui eminebant in Ecclesiâ, cum jam illud exposuisset coram omnibus, non ideò factum est, quod aliqua falsa dixerat, ut seorsim paucioribus vera diceret, sed aliqua tacuerat, quæ adhuc parvuli portare non poterant; falsum enim dicere nihil licet. Aliquando autem aliquid veri tacere utile est*, ait *Aug.* Consentientibus *Chrys.* & *Theodor. Remotior, Prædicationis Paulinæ confirmatio*, μή πως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον: instar eorum, qui in optatâ stadii metâ non sistuntur, ideoq; privantur brabæo. Nimirum ut *via* interdum ponitur pro *vitâ* hominis, Ps. I. 1. *Beatus vir ille, qui non ambulat in Consilio improborum, & viæ peccatorum non insistit.* XXVII. 11. *Doce me* JEHOVA *viam tuam, & deduc me per semitam planam.* CXLIII. 10. *Spiritu tuo bono deduc me per terram planam:* sic etiam *cursus* rebus *Religionis* metaphoricè tribuitur, in quibus & studio & festinatione opus est. Currunt ergò Doctores sinceri, quando in adornandâ spartâ ad diligentiam debitam nil reliquum faciunt, II. Tim. IV. 7. *Certamen præclarum decertavi, cursum peregi, fidem servavi.* Phil. II. 16. *Ut gloriari possim in die Christi me non frustra cucurrisse, nec frustra laborasse.* I. Cor. IX. 26. *Ego ita curro, ut non in incertum.* Act. XIII. 25. *Cum expleret Johannes cursum suum.* Currunt Pseudoprophetæ, quando illos, citra legitimam vocationem, æmulis viribus infectantur, falluntq; & falluntur, Jer. XXIII. 21. *Currebant, & ego non mittebam eos.* Ipsumq; *Verbum* Dei dicitur currere, si cum fructu prædicetur Ps. CXLVII. 15. *Celerrimè excurrit verbum ejus.* II. Thessal. III. 1. *Orate pro nobis, fratres, ut sermo Dei currat.* Cæterum quæsivit *Paulus* cursus sui dextro & inoffenso pede peracti confirmationem Hierosolymis, non sui gratiâ, utpote qui prosperum

rum Evangelici præconii successum, promissum Es. LV. 10. *Quum descendit pluvia aut nix de cœlo, rursus illuc non revertitur, sed inebriat terram, facitq; ut pariat ipsa & producat; ut edat semen satori, & panem comedenti: Sic erit verbum meum, quod egressum fuerit ex ore meo, non revertetur ad me vacuum; sed faciet id, quo delector, & proseperabitur in his ad quæ emisi illud:* satis superq; expertus fuerat, I. Cor. XV. 10. *Gratia ejus, quæ in me, non fuit inanis, sed amplius, quàm illi omnes, laboravi:* Verum auditorum, quos, de Consensu *Pauli* & Apostolorum reliquorum, dubii quædam spina pungebat. *Non quod timuerit*, ait *Hieron. ne per 10. & 7. annos falsum in gentibus evangelium prædicasset, sed ut ostenderet præcessoribus suis, non se in vanum currere, aut cucurrisse, sicut putaverant ignorantes.* *Pareus*, rejecto sensu phraseos vulgari, quo refertur *ad Doctrinæ veritatem*, ut *frustra currere* idem sit, quod *aberrare à Veritate*, textum explicans de *prædicationis fructu*, ut *in vanum currere*, ei *sit sine fructu laborare*, opponit sibi perperam subordinata: siquidem salutaris evangelii fructus veritatem necessariò prærequirit; nec aliud evangelium annunciari cum fructu potest, quam verum, Doctrinæq; præconum ἀναμφισβήτως incorruptorum per omnia σύμφωνον. Quod subsequentibus verbis *Pareus* ipse fatetur: *Ne ergo in vanum curreret, hoc est, ne nullo fructu porro prædicaret, aut hactenus septendecim annis frustra laborasset inter gentes, dicit se hac professione susceptâ cum Apostolis evangelium suum contulisse. Quod nisi faceret, calumniæ impostorum adversus ipsum apud simpliciores prævaluissent, quasi diversum ab Apostolis evangelium prædicaret, sicq; illis à Veritate evangelicâ aversis Paulo omnis laborum fructus periisset.* Consequens duplex est, alterum σπερμικὸν, alterum θεμικόν. Σπερμικὸν porro geminum, prius *Circumcisionis in Tito neglectus*, v. 3. ἀλλ' οὐδὲ Τίτος ὁ σὺν ἐμοὶ, Ἕλλην ὤν, ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι. Cujus rei ratio redditur v. 4. 5. Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωνται. (scil. jugo Legis Ceremonialis, circumcisionem postulantes εἰς τὸ σωθῆναι Act. XV. 1.) οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν

ἐν ὑποταγῇ, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου (de salute in solius Christi merito quærendâ,) διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς. *Fratres* vocantur Antagonistæ, quia meritum Christi recipiebant, *falsi* a quia Operalegis, Circumcisionis præcipuè, in actu Justificationis, illi, ut Caussam Sociam, admiscebant, refutati realiter, intermissâ Circumcisione *Titi*. Etsi aliàs I. Cor. VII. 19. Apostolus doceat: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum DEI.* Ut permitti potuisset Circumcisio etiam *Titi*, tanquam res per se supervacanea. Sed pro præsente rerum facie, neutiquam expediebat, ob fraudulentiam clàm sese illatebrantium Pseudapostolorũ, & imposturam Libertati Christianæ ab illis structam, mox, pro stabiliendâ Circumcisionis absolutâ necessitate, provocaturis ad suffragii Apostolici calculum, si *Titus* circumcisus fuisset. Sicut in bellis exploratores hostilium consiliorum & actionum aluntur. Qualis erat apud Homerum *Dolon*, & *Diomedes*, Iliad. X. apud Virgilium *Sinon* Æneid. II. Quo è fonte 7. promanat argumentum *Galatarum* ἐπανορθωτικὸν, & veritatis à *Paulo* prædicatæ κατασκευαστικόν: *Cujuscunq; doctrinam Apostoli* ὁμοθυμαδὸν *re ipsâ comprobarunt, ea vera est, & indigna quæ deseratur. Doctrinam Pauli Apostoli* ὁμοθυμαδὸν *re ipsa comprobarunt*, intermissione sc. Circumcisionis *Titi*, ab adversariis flagitatæ. E. *ea vera est, & indigna quæ deseratur.* *Ambrosius* quidem, secutus hîc suæ ætatis versionem latinam, legit affirmativè, omissâ particulâ negativâ, ὡδὲ, *quibus ad horam cessi*, hoc sensu: *Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintraverunt explorare &c. ad horam cessimus subjectione*, nempe circumcidendo Timotheum, *ut falsorum fratrum dolus & seditio cessaret.* Ac pro lectione hac urget tum particulam δὲ adversativam, quâ Apostolus utitur, postquam negasset *Titum* fuisse compulsum circumcidi, pergens: *Sed propter falsos fratres sc. cessi*, tum historiam *Timothei*, utiq; circumcisi. At rectius textui Originali, utpote qui solus authenticus est, adhæret *Chrysost.* Quamvis incogitanter particulam δὲ censeat πλεονάζειν; Siquidem commodè satis sensus

expletur

expletur repetito verbo ἠναγκάσθη, hunc in modum: *Sed neq; Titus fuit coactus circumcidi ab Apostolis. Non autem fuit coactus propter falsos fratres.* Ad historiam *Timothei*, quam sicco pede *Chrysost.* præterit, quid reponendum sit, infra ostendetur, in Conciliatione τῶν ἐναντιοφανῶν. Posterius, additamenti doctrinalis defectus v. 6. ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι (ob familiarem cum Christo conversationem) ὁποῖοί ποτε ἦσαν οὐδέν μοι διαφέρει. Quam orationem imperfectam & ellipticam præpropera efficit festinatio, ut subintelligendum sit: nil mihi fuit collatum, sive per uberiorem informationem, sive per doctrinæ meæ correctionem, nil itidem authoritati meæ derogatum. Ratio continetur v. 7. πρόσωπον ἄνθρωπος θεὸς οὐ λαμβάνει. Ut auctoritati Apostolicæ hæc, vel illa conditio Personæ, nec addat quicquam, nec adimat. Idem Oraculum extat Deut. X. 17. II. Paralip. XIX. 7. Job. XXXIV. 9. Act. X. 34. Rom. II. 11. Eph. VI. 9. Col. III. 26. I. Pet. I. 17. Ubi observandum arg. 8. *In quacunq; doctrinâ nil desiderarunt Apostoli, ea non est deserenda. In doct. Paulinâ nil desid. E. ea non est deserenda.*

Consequens θεϊκὸν est *Apostolorum Conclusio*, & *Petri reprehensio. Conclusio* continet duo, I. *Primarium Decretum*, de docendis gentibus, cujus ratio tum perspecta successus felicitas, tum cooperantis Divinæ Gratiæ identitas. ℣. 7. 8. 9. ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο, ἀλλὰ τοὐναντίον ἰδόντες, ὅτι πεπίστευμαι (per Græcismum, pro ἐμοὶ ἐπιστεύθη, uti Rom. III, 3. de Judæis dicitur: ὅτι ἠπιστεύθησαν, quod concredita illis, τὰ λόγια τοῦ θεοῦ) τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας, καθὼς πέτρος τῆς περιτομῆς. (posito per metalepsin abstracto pro concreto, præputio pro præputiatis, circumcisione pro circumcisis) ὁ γὰρ ἐνεργήσας πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς, ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη. (Etsi Petrum unicè suspicerent Pseudapostoli, quod in rebus adiaphoris plus indulgeret, & ad illorum praxin accederet propius.) καὶ γνόντες τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι, Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς, καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι; (tum Senatus Apostolici, tum Ecclesiæ, quam & fulciebant functione pub-

 licâ,

licâ, & tanqvam fulgidissimi φωστῆρες egregiis donis ornabant, uti scriptum est Apocal. III, 12. *Qui vicerit, faciam columnam in templo Dei mei.)* δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, ἵνα ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη· αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν, sc. apostolatu fungerentur. Ubi Ecclesias plerasque *Paulus* fundavit, adeò, ut ab Hierosolymis usq; ad Illyricum omnia Evangelio adimplerit; cum *Jacobus, Petrus* & *Johannes* Judææ limitibus sese continerent. Atque sic publica Apostolorum voce *Paulus Gentium Doctor* proclamatus fuit. Erit proinde novum, nonumq; argumentum: *Cuicunqve spectatissimæ autoritatis Apostoli commiserunt docendas gentes, ab ejus doctrinâ temerè non fuit resiliendum. Paulo spectatiss. auth. Apost. commiserunt docendas gentes. E.* II. *Accessorium monitum,* de colligendis eleemosynis ℣. 10. μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν· ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι. Quemadmodum singulæ propemodum epistolæ Sole testantur meridiano clarius, simul convellentes, præter defectum necessitatis à τῷ ῥητῷ recedendi, opinionem *Hieronymi: Posse intelligi pauperes, de qvibus Salvator* Matt. V, 3. *Beati pauperes spiritu. Reprehensionem Petrinam* quod attinet, notamus 1. *antegressam culpam.* 2. *reprehensionis formulam. Culpa* fuit hypocrisis, quâ se non præstitit ὀρθοποδοῦντα, fugiendo convictum & familiaritatem nuper è Paganismo conversorum ℣. 11. ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν (ubi primùm fidelibus Christi Christianorum nomen fuit inditum, Act. XI, 26.) κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν: reprehensus, vel reprehensibilis, ut invictus ponitur pro invincibili. *Hieronymus, Chrysost. Theoph. & Oecum.* verba: κατὰ πρόσωπον malè reddiderunt in *speciem*, seu *simulatè*: Ut Causidici coram tribunalibus in fictas quandoque contumelias se vertunt, & joculari dente invicem mordent, quò populum fallant. Erat enim *Petrus* κατεγνωσμένος, reprehensionem non simulatam, sed seriam satis & severam promeritus, ob scandalum infirmis fratribus datum. Ut huc etiam quadret attestatio cap. præcedentis: *Quæ scribo, ecce coram DEO non mentior.* Est igitur εἰς πρόσωπον ἀντιστῆναι, *in faciem, apertè, palàm* resistere,

ſtere, German. unter Augen / interprete ℣. 14. *Dixi Petro coram omnibus. Si verum ſcripſit Paulus, verum eſt, quod Petrus non rectè tunc ingrediebatur ad veritatem Evangelii. Admiſſo autem ſemel in tantum auctoritatis faſtigium officioſo aliquo mendacio, nulla eorum librorum particula remanebit, quæ non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosiſsima regula, ad auctoris conſilium officiumq; referatur*, inqvit Aug. qui commotior ferram contentionis, ſuper loci hujus interpretamento cum *Hier.* reciprocavit, provocante *Aug.* ad *Cypr.* & *Ambroſ. Hieronymo* contra ad *Orig.* & nonnullos alios Patres Græcos, quorum tamen ſcripta hodie interierunt. Vid. utriusq; Epiſt. Tom. 2. Oper. Aug. ab epiſt. 8. ad 20. Perperam inſuper, *è Clemente Alexandrino, Euſebius* autumat, *Petrum* à *Paulo* reprehenſum non fuiſſe Apoſtolum, ſed unum è LXX. Diſcipulis. Eum nempe *Petrum* reprehendit *Paulus*, quocum tanquam Apoſtolo Hieroſolymis converſatus fuerat, & quem cupiebat de rebus à ſe geſtis ἱστορῆσαι, teſte cap. I, 18. Porrò *hypocriſeos Petrinæ* additur tum *occaſio*, tum *effectus*. *Occaſionem* ſuppeditavit acceſſus Judæorum, à *Jacobo* deputatorum ℣. 12. πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν τινας ἀπὸ Ἰακώβου, μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιεν· ὅτε δὲ ἦλθον, ὑπέστελλε καὶ ἀφώριζεν ἑαυτὸν, φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς. Ne *Jacobo* nimirum ſiniſtri quicquam nunciarent, quem Legis Ceremonialis manſiſſe obſervantiorem, conſilium illius docet de voto Hieroſolymis perſolvendo, Actor. XXI, 24. Et ita, ne accipiatur ſcandalum à Judæis, Petrus ipſe aliquod dat renatis Ethnicis. *Incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdim. Effectus*, Colluſio & Seductio *Barnabæ*, ac reliquorum Judæorum, qui CHRISTO nomen dederant, eumq; diſcrimen ciborum mundorum & immundorum, Judæorum & gentium, in Teſt. N. ſuſtuliſſe didicerant, ſed tanti Apoſtoli adulatione perturbati, ſibi quoque familiari cum gentibus incircumciſis converſatione interdictum arbitrabantur. v. 13. καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ καὶ οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι, ὥστε καὶ Βαρναβᾶς συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει. *Forma actionis Paulinæ* adverſus *Petrum* figuratur

tur interrogatione, v. 14. ἀλλ' ὅπ ἴδον, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου (elegans est metaphorica locutio, qualis illa *Eliæ* III. Reg. XVIII. 21. *quid claudicatis in utramq; partem?*) εἶπον τῷ πέτρῳ ἔμπροσθεν πάντων, εἰ σὺ ἰουδαῖος ὑπάρχων, ἐθνικῶς ζῇς, καὶ οὐκ ἰουδαϊκῶς, πῶς τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις (non verbis & hortatibus, ut *Ambrosius* existimat, sed facto & opere scandali plenissimo, cum mollissimè svadeatur exemplis, tanti cumprimis Viri, ut quicquid hujusmodi fit exemplo, jure fieri imperitiores putent) ἰουδαΐζειν, hoc est, more Judæorum, certorum quorundam ciborum etiu usuq;, tanquam immundorum adhuc & prohibitorum, abstinere. Nimirum pro explorato tenebat *Petrus*, cessasse jam in Test. N. ciborum mundorum immundorumq; discrimen, dirutâ macerie, quæ olim Judæos à gentibus sejungebat, è speciali patefactione, descriptâ Act. X. Quid? quod notitiam istam paulò ante ipsâ praxi testatam effecerat, cibum capiendo cum incircumcisis ethnicis: & tamen ita se gerebat, acsi Circumcisio etiamnum singulis foret necessaria, aut gentes præputiatæ minus placerent DEO, quàm Judæi. Sortimur itaque hîc arg. X. pro confirmandâ Propositione principali: *Cujuscunqve doctrinæ violationem non impune tulit Petrus, ei constanter decet adhærere Galatas. Atqvi violationem Doctrinæ Paulinæ, de Operibus Legis, non impune tulit Petrus. E.* Occasione συμπλοκῆς Petrinæ, ordo devolvitur ad primarium Epistolæ caput, de *formali* Justificationis *ratione*, διεξοδικῶς evolvendum, per thesin, & antithesin, pro adstruendâ Orthodoxia Evangelicâ, de Justificatione fidei, & destruendâ heterodoxiâ Pharisaicâ, de Justitiâ Legali operum. Siquidem factum Petri regulæ Justificationis è diametro repugnabat. Argumentum I petitur ab *exemplo* Judæorum, locoque imparium v. 15. 16. Ἡμεῖς φύσει ἰουδαῖοι (non proselyti, quorum jam Salomonis ætate numerabantur 150000.) καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί, εἰδότες ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡμεῖς εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν ἐπιστεύσαμεν, ἵνα δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως Χριστοῦ, καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου.

Et

Et sumitur quidem partic. ἐὰν μὴ πλαχῶς, jam *adversativè*, pro ἀλλὰ, quæ ipsa vox derivatur à Syriaco אלא orto è duabus vocibus Hebræis, לא ם quæ Græcè sonant εἰ μὴ, ut cap. anteced. v. 7. εἰ μή τινες εἰσὶν οἱ ταράσσοντες ἡμᾶς. I. Cor. VII. 17. εἰ μὴ *ut cuilibet distribuit Deus, ita ambulet.* Apocal. IX. 4. *Præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neq; omne viride, neq; omnem arborem, εἰ μὴ homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Jam *exclusivè*, ut Matth. XIV. 17. *Non habemus hîc εἰ μὴ quinq; panes, & duos pisces.* Marc. XIII. 32. *De die illo ac tempore nemo novit, εἰ μὴ Pater.* Hîc utra magis arrideat significatio, licet perinde sit, cum sensus maneat idem; præferri tamen meretur posterior, tanquam frequentior, maximèq; propria. Syllogismus erit: *Si ex operibus Legis non Justificantur Judæi, utiq; nec gentes. At verum prius. E. & posterius.* Major fundatur in Canone: *Si illud non est, quod magis existit probabile, nec illud erit, quod minus probabile.* Ut enim Judæorum erant & *Patres*, & *Testamenta*, & *Promissiones*, Rom. IX. sic illos speciatim tum solennissimâ promulgatione Legis perpetuæ, seu Moralis, tum consignatione Legum temporalium, Ceremonialiũ, & forensium, præ cunctis nationibus, Deus dignatus fuerat Ps. CXLVII. 19. *Indicat verba sua Jacob, statuta & jura sua Israëli. Non fecit taliter omni nationi.* Minorem stabilitam dat communis virium humanarum ἀῤῥωστία, indigitata nomine *carnis*, per quam non licet debitam legi obedientiam præstare, verbis sequentibus: διότι ἐξ ἔργων νόμου πᾶσα σὰρξ. Contra: *Si justificantur per fidem JESU CHRISTI Judæi, etiam in hoc justitiam quærere oportet gentes.* Ratio, *quia, si illud est, quod minus probabile, erit quoq; alterum, quod magis probabile. At rursus verum prius. E. & posterius.* Succedit II. ἀπαγωγὴ ἀπὸ τὸ ἄτοπον V. 17. εἰ δὲ ζητοῦντες δικαιωθῆναι ἐν Χριστῷ εὑρέθημεν καὶ αὐτοὶ ἁμαρτωλοὶ, ἆρα Χριστὸς ἁμαρτίας διάκονος; μὴ γένοιτο. Syll. *Quicunq; justificandos remittit ad Legem, is peccati,* (per ipsius manifestationem) *minister est. Christus justificand. remittit ad Legem. E. Christus pecc. minister est.* Conclusio est absurda, quia manifestare peccatum, non CHRISTI

est, sed *Mosis*, accusantis & condemnantis Joh. V. 45. Qui ipse non satis habuit legem promulgasse, cui ad perfectionem summam nihil defuit; sed perspiciens ἀδυναμίαν hominum, mensuram pietatis à Lege præscriptam adimplendi, alium restare Prophetam audiendum prædixit Deut. XVIII. 15. justificaturum nempe cognitione sui multos Es. LIII. 11. &, deletâ iniquitate, reducturum justitiam æternam Dan. IX. 24. Agnoscenda igitur falsitas alterius præmissarum. At veriss. Major. *Per legem enim agnitio peccati* Rom. III. Latitabit proinde falsitas in minori, quæ est Pseudapostolorum. III. *ab effectu, & scopo Evangelii* v. 18. εἰ γὰρ ἃ κατέλυσα ταῦτα πάλιν οἰκοδομῶ, παραβάτην ἐμαυτὸν συνίστημι. Hoc est, si efferentibus sese pravis affectibus, ut Pharisaicæ superbiæ, meritum aliquod operibus humanis coram Deo arroganti, quam destructum Salvator venit, juxta Evangelium meum, habenas nunc laxarem, æquè extra liram rationis abriperer, ac ineptus Architectus, qui, quam semel demolitus est, domum sordidam, postea reædificat, in cassum cadente omni labore. Syll. *Quicquid destruit Pharisaicam arrogantiam meriti, id eandem adstruere nequit. Doctrina Apostolica destruit Pharisaicam arrogantiam meriti. E. eand. adstruere nequit.* Ratio Majoris est, *quia contrarii effectus, contrarias causas arguunt.* Minor liquet ex Act. XV. 10. *Quid tentatis imponere jugum cervici Discipulorum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuerunt.* Equidem, ut in mundo pudori habet θυμὸς ἀγήνωρ, & ingenui sanguinis homo, nullo suo merito ad præmium quoddam & beneficium adspirare, ac insignia virtutis sine virtute consequi; sic etiam beneficia Divina non rectè prius accipi multi existimant, quàm fuerint nostri meritis provocata: Sed fædissimo αὐθαδείας fascino dementati, nec agnoscentes virium suarum angustiam, quæ non minus inevitabilis necessitatis clavâ nos cogit ad gratiam Dei confugere, cum omnibus Sanctis, ejusque emendicare misericordiâ, quàm stipem colligere pauperes invaletudo corporis, interclusâ omni aliâ victus acquirendi viâ. IV. ab

Ad-

Adjuncto renatorum v. 19. ἐγὼ γὰρ διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον, ἵνα θεῷ ζήσω, χριστῷ συνεσταύρωμαι. Phrasis: *mori Legi*, explicatur Rom. VII. graphicâ imagine mulieris alligatæ viro, in vivis adhuc superstiti, exempto autem rebus humanis marito, licentiam adipiscentis plenissimam ad nova vota transeundi. Ut *mori legi* nihil sit aliud, quàm liberari à coactione, maledictione, & justificatione Legis; idque per legem Evangelii, ampliatâ significatione termini legis, ad denotandam quamcunq; doctrinam θεόπνευστον. Quo sensu Es. II. 3. legimus: *De Zion exivit Lex, & verbum Domini è Jerusalem.* Et Rom. VIII. 3. *Lex Spiritus vitæ liberum me reddidit.* Rom. III. 27. *Excluditur gloriatio non per legem operum, sed lege fidei.* Syll. *Cuicunq; Christiani sunt mortui, ab eo frustrà expectant justificationem. Legi Christiani sunt mortui. E. Cornelius à Lapide* se continere hîc neqvit, quin enormem calumniandi mentiendiq; libidinem, *Jesuitis* propriam in quarto modo, sequenti prodat in *Lutherum* actione: *Impiè Lutherus in hunc locum, & rursus in cap. 4. hujus epistolæ: Legi mori, nihil aliud est, qvàm ad legem non esse obligatum, ab eaq; liberum esse, sive ceremonialis sit, sive moralis: Certum enim est, Decalogum solis Judæis esse datum, & non nobis. Idem lib. de Libert. Christ. Christano neqve opera neq; lex necessaria est, qvia per fidem liber est ab omni lege. Idem rursus Tom. I. Witteb. fol. 189. & 190. Oportet cor humanum legem Dei, atq; adeò Deum ipsum supra modum odisse. Audite hæc, qvi ab eo ejusq; as seclis miserè decepti estis, & exhorrescite vocem non hominis, sed Satanæ: qvid enim Satanas DEI & hominum juratus hostis, de Deo magis blasphemum & horrendum dicere, ac homini in suam perniciem suggerere possit.* Sed exhorrescere debuissent comæ hæc talia de *Luthero* scribenti Jesuitæ, nisi Jesuita esset, hoc est, juratus veritatis hostis. Non tantùm enim verba *Luthero* afficta fol. allegatis neutiquam reperiuntur: sed disertissimè etiam contrarium fol. 189. docetur, hac locutionis ideâ; GOTT hat das Gesetz nicht gegeben/ daß du im Tode bleiben solteſt/ sondern daß du ihn fürchten und Lieben solteſt/ und dadurch erkennen/ wor dir es feilet. Dum negatur in Gal. II. 19. das man

sey an das Gesetz verbunden/ f. 85. respici actum Justificationibus, ostendunt proximè antecedentia: S. Paulus hette nichts Gewaltigers können sagen wieder die Gerechtigkeit/so durchs Gesetz kommen soll/ denn eben daß er hie saget/ Ich bin dem Gesetz gestorben; das ist/ Ich hab mit dem Gesetz gar nichts mehr zu schaffen/ gehet mich auch gar nichts an/ auch kan michs nicht Gerecht machen. Abrogatio legis restringitur ad maledictionem & condemnationem in cap. IV. fol. 247. ubi de Libert. Christ. *Lutherus* ait: Ich habe droben offte und viel gesaget/ und sage es itzund abermahls/ daß ein Christ/ so Christum den Heyland der Welt durch den Glauben ergreiffet und fasset/ keinerley Gesetz unterworffen/ sondern vom Gesetz frey sey/ also/ das es ihn nicht schrecken noch verdammen kan. Ne verò frigus aliquod aut teporem in studio bonorum Operum alere ac fovere videretur, mox addit fol. 249. Die Gläubigen thun auch gute Wercke/ auff daß sie dadurch GOTT ihren Vater preisen/ und dem Nechsten damit dienen und helffen. In Comment. priori anno 1522. edito, super Cap. II. v. 19. *Lutherus* ita: *Nos dum extra fidem sumus, regnante concupiscentiâ, legi servimus, coacti ejus opera facientes, ac per hoc legem non implentes, quæ dilectione fidei tantùm impletur. Mori autem legi, est liberum fieri â lege: sicut debitor quispiam, cum mortuus fuerit, liber est ab exactore suo. Ita dum per fidei gratiam homo vetus incipit occidi, & destrui peccatum, quod per legem abundabat, morimur hac sanctâ morte, id est, vivificamur ad justitiam: sicut copiosè Rem. 6. & 8. disputat eodem verborum tropo, mortuos peccato, vivos justitiæ appellans. Quare legi vivere, est legem non implere. LEGI MORI, EST LEGEM IMPLERE. Hoc per fidem Christi fit, illud per opera legis.* Et in explicat. Cap. IV. 9. *Servare legalia, non est malum: sed servire legalibus, malum est. Servit autem qui timore, (ut jam sæpe dictum est,) minarum, eadem facit coactus, velut necessaria, quibus mereatur justificari. Liberè autem facta nihil obsunt. Nec non ad* v. 4. cap. ejusdem: OMNES GENTES SUB LEGE FUERUNT, SALTEM NATURÆ ET DECALOGI. De legibus autem, & statutis Pontificus, jure meritoq; illa præ-

mittit.

mittit ad Cap. III. 19. *Hîc vides, credo, radicem, unde mihi crescit indignatio in tot decreta, statuta, & decretales pontificum, quâ tyrannide nunc ecclesia & oppressa jacet, & in dies vastatur, & fit, ut imponant onera hominibus importabilia (præsertim si redemptrice careas pecuniâ) quæ nec digito ipsi movere velint, aut possint, ne cogitata quidem à tam vigilantibus pastoribus ovîu Christi: hoc est, quod gemo, per tot inutiles leges & noxias, nihil nisi infinitas offensas Dei augeri.* V. iterum ab *Adjuncto* v. 20. ζῶ δὲ, οὐκέτι ἐγὼ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ χριστὸς· ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκὶ, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με, καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ. En vitam verè vitalem! Vita avari est myrmecia divitiarum, cui per fas & nefas corradendæ oleum operamq; omnem impendit; gulosi, sacer ille & alibilis liquor, quo se ad ambas usq; aures ingurgitet. Ast ô vitam miseram, quam qui degunt, ὄντως in faucibus mortis hærent; cum neque in morte amittamus, quam Christo debemus, vitam. Syll. *In quocunque vivit Christus, is non justificatur è lege. In renato vivit Christus.* E. Major. prob. quia Christus ideò se subjecit legi, ut nos inde redimeret Eph. IV. 5. ideò placavit Deum Patrem, ut ex ejus plenitudine hauriremus gratiam pro gratiâ Joh. I. 16. Ideò expiavit peccata à Lege accusata, ut nos ejus minas sperneremus, tanquam vulgur è pelvi. Ideo vicit mortem, pecccati fructum, ne quicquam damni nobis afferret. VI. ab *Opposito, Gratiâ Dei.* v. 21. οὐκ ἀθετῶ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ. Syll. *Quicunq; justificantur per gratiam Dei, non inveniunt justitiam in Operibus legis. Christiani justificantur per gratiam Dei. E. non inven. justit. in Oper. legis. Major prob. quia justitia operum, Gratiæ δὶς διὰ πασῶν* adversatur. Rom. IV. 4. *Operanti merces imputatur non è gratiâ, sed ê debito.* Et XI. 6. *Si ex gratiâ, jam non ex operibus, aliàs gratia non foret gratia. Si ex operibus, jam non è gratiâ, aliàs opus non foret opus.* VII. rursus ab *absurdo:* εἰ γὰρ διὰ νόμου δικαιοσύνη, ἄρα χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν. Quod Oraculum locum supplet Maioris. Subsumimus nos: *At per legem est justitia.* (sententiâ Pseudapostolorum.) Concludant nunc ipsi: E. *Christus frustra mortuus est.* Hem absurditatem! Agnoscenda igi-

tur falsitas alterius præmisſæ, cum è veris præmisſis, legitimè disposítis, nonnisi verum colligatur. At Verisima Major, quoniam finis mortis Christi est Satisfactio sufficiens, Legi, nostro loco, præstanda: alienum autem â Justitiâ Dei, unius debiti geminam expetere solutionem. Laborabit itaque falsitate Minor, ac proscindent Christum atrociorib⁹ longè blasphemiis, majoriq; mactabunt ignominâ *Justitiarii* ad unumomnes, Imperii Turcici Moderatore *Mahumete*, cum, expugnatâ Constantinopoli, imaginem Christi crucifixi erigendam, cum hac inscriptione: Is, est Christianorum Deus; & stercoribus conspurcandam curasset. Siquidem lutum illud, in ligneam CHRISTI effigiem projectum, Majestati ejus ne hilum derogavit: derogant autem plurimum gloriæ officii Mediatorii, & tantùm non, pro copiâ, penitus illam aufferunt, quotquot de operum suorum meritis salutem sibi spondent.

APHOSISMUS

Διδακτικὸς I. *Exortis Controversiis gravioribus, decet cum vicinarum Ecclesiarum & Academiarum Doctoribus sententiam conferre, eorumque mentem exquirere.*

Apostoli quippe mutuas jungendo operas, in Concilio Hierosolymitano, â quo nec abesse Paulus voluit, debuit, vers. I. *Deinde post annos quatuordecim rursum ascendi Hierosolymam &c.* facilius communibus suffragiis dissipaverunt, & uno qu. Spiritu dissaverunt consutos dolos, & errores Pseudapostolorum: exemplum nobis relinquentes imitatione dignissimũ, ut in herbâ tempestivè supprimantur, quoties suppullulare, in agro Domini, vel hæresium & schismatum, vel impietatis Zizania incipiunt. Infixum itaque animis pectoribusq; nostris maneat illud admonitionis fidelisimæ protelum Phil. II. 2. *Explete meum gaudium, ut idem sapiatis:* Et Eph. IV. 3. 13. *Studete servare Unitatem Spiritus, donec occurramus in eadem cognitione filii Dei;*

sive

sive Synodales conventus indicendi, sive libri symbolici conscribendi sint.

2. Dissonantia rituum adiaphororum, non tollit concordantiam fidei.

Unam eandemque fidem profitebantur Apostoli Hierosolymis cum *Paulo*, ejusque comitibus & Collegis, inter gentes, ac nihilominus Circumcisione, quam illi retinebant, hi sese abstinebant v. 3. *Sed neq; Titus, qui mecum erat, quamvis græcus esset, coactus fuit circumcidi.* Hinc vetus veriverbium: *Dissonantia jejunii, non tollit concordantiam fidei;* ad similes quoque res indifferentes extendendum. Contra *Bellarm.* conformitatem rituum Ecclesiæ veræ notis accensentem.

3. Etsi adiaphora per se liberæ sint observationis, in gratiam tamen hæreticorum, nihil vel faciendum, vel omittendum.

Nam propter παρεισάκτους falsos fratres, non potuit adduci *Paulus*, ut circumcidi sineret *Titum*, versu eodem. Sic sub initium reformationis, multæ tolerabantur ceremoniæ, per se indifferentes, nec mandatæ divinitus, nec prohibitæ; ne imprudenti libertatis Christianæ abusu, scrupulus injiceretur simplicioribus: apertis autem veritatis hostibus nunquam vel latum unguem cesserunt orthodoxi. Quomodo *Lutherus* nec statuas ejecit templis, nec Zwinglianam ἀρτολατρείαν recepit in S. Cænâ, nec elevationem panis abrogavit in Missâ Germanicâ, propter *Carolostadium*, absolutæ necessitatis opinionem de talibus foventem. Frustra regerit *Pareus: Non esse hæc adiaphora, sed suo genere omnino necessaria, cum Deus manifestè prohibeat statuas habere* Ex. XX. 4. Deut. XII. 3. *frangere panem Christus jusserit: elevatio panis sit idololatrica, ex fine proprio, ut adoranda hostia populo ostentetur.* Etenim si simpliciter imagines Lex Divina prohiberet, nec ullus commendaret usus vel κοσμικὸς, vel ἱστορικὸς, vel πολιτικὸς, vel μαθηματικὸς, non tantùm exulare illas oportuisset.

tuisset templo Salomonis; sed nefas hodieque foret ferre sive in Megistanum palatiis, sive in monetis, sive in Astronomorum globis. Quo sensu autem imagines prohibeantur Ex. XX, 4. videre est è proximo vers. 5. *NE ADORES, nec colito eas.* Levit. XXVI. 1. *Ne faciatis vobis imagines, & sculptile, aut statuam, AD ADORANDUM.* Deut. IV. 16. 19. *Non faciatis vobis similitudinem ullius simulachri &c. NE INCURVANS te illis colas ea.* V. 14. 15. *Nec facias tibi sculptile, ullamve imaginem illorum quæ sunt in cælis supra, aut quæ sunt in terrâ infra, aut quæ sunt in aquis infra terram. NE ADORES ILLA, NEQUE COLAS EA.* Sicuti ad crassissimam idololatriam prostabant imagines *Cananæorum*, quas abolere Deus jussit Deut. XII. 3. Ἀφικλασία aliquâ opus est, ad Eucharistię celebrationem, perinde autem, sive in ipso demum S. Cænæ usu peragatur, à Verbi ministro, sive ante usum, ab aliis, cum pari commoditate panifragii scopus, distributio inter communicantes, obtineri queat. Elevationem panis, in usu Cænæ Dominicæ, retinuit *Lutherus*, ut rudioris plebeculæ animi efficacius excitarentur, per externum hujusmodi & insensus incurrens signum, ritumque accidentalem, ad devotam considerationem actionis primariæ & essentialis, in Sacramento hoc φρικωδεσχέλφ. Ceterum *Lutheri* Herois vestigiis ut insisterent, exilia subire *Brentius, Musculus, Sarcerius, Snepfius, Aquila, Amsdorffius, Gallus, Illyricus*, aliique; armatâ verò manu libertatem Christianam tueri *Magdeburgenses* maluerunt, quàm suffragatione suâ comprobare σφιγγώδη Librum *Interreligionis*, in Comitiis Augustanis anno 1551. auspicio *Carol.* V. operâ *Julii Pflugij*, Episcopi Naumburgensis, *Michaelis Sidonij*, Episcopi Margisburgensis, & *Johannis Agricolæ*, Concionatoris apud Electorem Brandenburgensem aulici, consarcinatum, de adiaphoris hæc proponentem emblemata: 1. *Missa deinceps in his regionibus ita celebretur, ut & æra increpentur, & candelæ, vascula, cantiones, ornatus & ceremoniæ adhibeantur.* 2. *Salis usus in baptismo concedi potest, modò non exorcisati salis.* 3. *Cereus etiam usurpari potest, & cum reliqvis*

reliqvis veteribus ceremoniis usurpari debet baptismus. 4. *qvintâ & sextâ die hebdomadis, in jejunio etiam Quadragesimali, à carnibus abstinendum.* 5. *inter Festa solemniora etiam referendum Festum Corpior CHRISTI.* 6. *Usus olei, in ordinationibus Episcoporum, nihil movere debet, modò ne oleo tribunatur ulla efficacia doni, aut gratiæ Divinæ.* Uberiorem quoque fructum laudis tulit, apud *Basilium, Barlaami* Martyris constantia. Hic enim cum ductus esset ad altare Idololatricum, ut, thure in ignem projecto, litaret idolo, id autem constantissimè recusaret, tandem dextra super altare supina colligata fuit, ut vertendi quidem illam, at non retrahendi facultas concederetur, impositis volæ ignitis carbonibus, cum thure, quod ita futurum arbitrarentur, ut vel doloris impatientiâ victus, manum vertendo, ac thus cum carbonibus in altare effundedo, sacrificii aliquam speciem præ se ferret. Quid autem *Barlaam?* Is fraudem Idololatrarum fortitudine superaturus, satius duxit ustionem sustinere manus, quàm levissimo motu adversariorum desiderium explere; Ut ut litationem thuris per se indifferentem esse non nesciret.

4. Ut eò citius Evangelium, per universum terrarum orbem, disseminaretur, é mutuo pacto, aliis Apostolis aliæ provinciæ commissæ fuerunt.

Juxta v. 9. *Cumq; cognovissent gratiam mihi datam Jacobus, & Cephas, & Joannes, qvi videbantur esse columnæ, dextras dederunt mihi ac Barnabæ societatis, ut nos inter gentes, ipsi vero in circumcisione, sc. apostolatu fungeremur.* Hinc *Petrus* potissimum dispersis Judæis, in Ponto, Cappadociâ, Asiâ & Bithyniâ, verbi Divini divitias explicuit. *Jacobus Minor* Hierosolymis Sapientiæ cælestis arculas recluſit. *Andreas*, Petri frater, in Scytharum usque eremiam, & ad pontum Euxinum secessit. *Joannes* Asiam adivit. *Philippus* in Phrygiâ, & aliquâ parte Scythiæ, Ecclesiam plantavit. *Bartholomæus* per Armeniam majorem, & Jndiam, eandem amplificavit. *Thomas* Parthos, Brachmanes, & Bactros

informandos accepit. *Matthæus*, & *Matthias* Æthiopicam nationem fulgore fidei colluſtraverunt. *Judas Lebbeus* in Galilæâ, Samariâ, Arabiâ, Syriâ, & Moſopotamiâ, Religionis facem accendit. Simon Cananæus Africanis, & Britannis myſteria ſalutis ediſſeruit. *Paulus* verò, electum illud DEI organon, nomen Domini coram regibus & gentibus tanto portavit ſucceſſu, *ut ab Hieruſalem usq; ad Illyricum omnia Evangelio implerit.* Rom. XV.

5. Fides & Opera, in Juſtificationis actu, prorſus ſunt ἀσύμφατα.

Eum quippe in modum Juſtificatio fidei vendicatur, ut operibus eam luculentiſimè adimat v. 15. 16. *Scimus non juſtificari hominem ex operibus legis, ἐὰν μὴ per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſtum Jeſum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis.* Ratio in propylæo ſita. Eſt enim juſtitia operum, propria & inhærens, fidei autem, aliena & imputata, Phil. III. 9. *Ut inveniar in Chriſto, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed quæ eſt ex fide Chriſti.* Ut igitur ſibi ἀντιδιηρημένως opponuntur, proprium, & alienum: ſic etiam fides juſtificans, & Opera. Exceptionem *Bellarmini* priorem, è gloſsâ ordinariâ: *Detrahi tantùm juſtificationem operibus legis Ceremonialis;* refellit I. *Epiſtolæ ſcopus*, Confutatio Pſeudapoſtolorum, qui univerſæ legis Moſaicæ obſervationem neceſſariam ad ſalutem comminiſcebantur, Act. XV. 1. Deinde *ſententia generalis* v. 16. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro;* cum ad gentes Lex ceremonialis nunquam ſpectarit. 3. *oppoſitum legis*, meritum Chriſti v. 21. *Si per legem eſt juſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt.* Chriſtus enim toti legi perfectiſsimè ſatisfaciendo, liberationem â totâ lege, tam morali, quàm ceremoniali, quà juſtificationem, & condemnationem, nobis promeritus eſt. Eleganter *Auguſtinus* epiſt. 22. *Non ſolum illa opera legis, quæ ſunt in veteribus Sacramentis, & nunc revelato Teſt. N. non obſervantur à Chriſtianis, ſicut eſt Circumciſio præputii,*

&

& Sabbathi carnalis vacatio, & à quibusdam escis abstinentia, & pecorum in sacrificiis immolatio, & Neomenia, & azymum, & cætera hujusmodi, verum etiam illud, quod in lege dictum est, non concupisces, quod utiq; & Christianorum nullus ambigit esse dicendum, non justificat hominem, nisi per fidem Jesu Christi, & gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum. Futilitas posterioris: *Intelligi opera irregenitorum, facta per Vires naturales liberi arbitrii, non profectas ex fide & auxilio gratiæ;* liquet è consideratione tum *Subjecti* Epistolæ, *Galatarum*, utiq; renatorum; siquidem ab illorum conversione jam integrum sexennium effluxerat, cum scriptionis hoc officium usurparetur: *tum autoris, Pauli,* suis quoque operibus justificationem omnem ἀπτόμως denegantis, ne ἀτόπως inutilis mors Christi statuatur. Audiamus iterum *August.* Lib. de Spir. & lit. cap. 13. & 14. *His consideratis, colligimus non justificari hominem præceptis bonæ vitæ, nisi per fidem Jesu Christi, hoc est, non lege operum, sed lege fidei, non litera, sed Spiritu, non factorum meritis, sed gratuitâ gratiâ.* Et paulò pòst: *Legem, ex quâ neminem dicit justificari, non tantùm in illis Sacramentis, quæ habuerunt promissivas figuras, verum etiam in illis operibus vult intelligi, quæ quisquis fecerit, juste vivit.* Nec momenti alicujus est *Bellarm.* ἔνστασις: *Relinqui sartum tectum q; usum mortis Christi, quâ donum hoc bene operandi, & per Opera justificationem coram tribunali Divino impetrandi ipse morte suâ nobis acquisiverit.* Finem enim mortis Christi non constituit Scriptura acquisitionem ficti hujus doni & facultatis, justificationem & salutem obtinendi per Opera, sed peccatorum nostrorum expiationem, & nobis impossibilem legis impletionem. Rom. IV. 25. *Christus propter peccata nostra mortuus est, & propter justitiam nostram resurrexit.* Cap. VIII. 3. *Quod legi impossibile erat, siquidem infirmabatur per carnem, fecit Deus mittens filium in similitudine carnis peccati.* Efficit quidem meritũ mortis Christi, ut simus *nova creatura*, II. Cor. V. 17. *& in novitate vitæ ambulemus.* Rom. VI. 4. sed novitas vitæ, & serium studium bonorum Operum, quod fervere semper debet, ad articulum pertinet sanctificationis, non immiscendũ justificationis negocio.

6. Fidei est, Mediatorium Christi beneficium ad nostram singulatim personam applicare.

E vers. 20. *Christus dilexit* ME, *& tradidit semetipsum pro* ME. Conf. Rom. VIII. 38. *Persuasum mihi habeo, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neq; principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit* NOS *segregare â dilectone Dei, quæ est in Christo JEsu Domino nostro.* I. Tim. I. 15. *Certus est sermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quod Christus Jesus venit in mundum, ut peccatores salvos faceret, quorum primus* EGO *sum.* Psalm. CIII. 3. *Qui condonat omnes Iniquitates* TUAS, *qui medetur omnibus morbis* TUIS. Es. XLIII. 25. *Ecce ego deleo iniquitates* TUAS *propter me, & peccatorum* TUORUM *non recordor.* Namque cum singulos Christus unicè diligat, hoc est, tam ardenter, acsi solos amore complecteretur, singuli id non secus apprehendunt, acsi ipsi soli Christo gratiosi forent. Contra *Pontificios*, fidei tantùm objicientes promissiones Divinæ gratiæ generales, de speciali autem caritate Dei, & favore erga suam præcisè personam, quemque dubitare jubentes.

7. Mors Christi, verè Satisfactoria est.

E vers. 20. 21. *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam Dei. Nam si ex lege justitia, Christus frustra mortuus est.* Dantur hîc enim singula Satisfactionis propriissimæ requisita. 1. *Debitor*, pro quo satis faciendum, homo peccator. 2. *Dominus*, cui satisfaciendum, Deus. 3. *Sequester*, seu satisfactor, *Christus.* 4. *Satisfactorium pretium*, Christi mors, tradentis semetipsum pro nobis, nempe ἀντάλυτρον I. Tim. II. 6. Ut longè alio sensu μεσίτης καὶ ἱκέτης noster salutari mercatur, quam cum metaphoricâ dictionis ideâ λυτρωτὴς Moses nuncupatur, Act. VII. 35. vel Deus etiam perhibetur redemisse populum ex Ægypto, Deut. VII. 8. IX. 26. XIII. 5. redemisse itidem Abrahamum, cum illum de manibus Chaldæorum eriperet.

ret. Es. XXIX.22. ipsumq; CHRISTUM Psalm. XXXI. 6. sine interventu ἱλαστηρίου pretii. Contra *Socinianos*, Satisfactionem Christi pro peccatis nostris negantes. Ad quorum exceptionem I. è vers. antecedente 19. *Ego legi mortuus sum*, hoc est, liberatus à maledictione, & condemnatione legis, huic includendam Syllogismo: *Quicunq; captivatus fuit à lege, pro eo liberando non erat satisfaciendum Deo. Homo peccator captivatus fuit à lege.* E. Resp. per limitationem Majoris: *Q. captivatus fuit à lege* πρώτως, tanquam ipso captivitatis Domino, *pro eo liber. non erat satisfac. Deo.* Sic neg. Minor. Dominus ille, qui quosvis legirupas & mandatorũ suorũ prævaricatores, angelos, & homines, captivos detinuit, Deus ipse est II. Petr. II. 4. *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed catenis tenebrarum in tartarum præcipitatos, tradidit servatos in judicium, & prisco mundo non pepercit.* Matth. XVIII. 23. 24. *Iratus Dominus tradidit eum tortoribus, donec omne debitum solveret. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris delicta illorum.* Lex autem maledicens, &, per hanc, Diabolus, saltem ministerii operam Deo locant, hominem, in peccatorum vincula conjectum, carceri mandando. Col. II. 13. 14. 15. *Deus vos, cum essetis mortui per delicta, vivificavit cum Christo, condonans nobis omnia delicta, deleto quod adversum nos erat chirographo, expoliatosq; principatus ac potestates ostentavit palàm, triumphans de illis per semetipsum.* Hebr. II. 14. 15. *Ut pueri participant carne & sanguine, sic Christus participavit ijsdem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberaret eos, qui metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti.* In except. II. è v. 20. *Non sperno gratiam Dei: Quicquid est mere gratuitum, nullam præsupponit Satisfactionem. Condonatio peccatorum, est merè gratuita.* E. Disting. inter condonationem peccatorum consideratam vel respectu *nostri*, vel ratione CHRISTI. Valet Minor de condonatione peccatorũ, modo priori spectatâ. Et sic largimur arg. totum. Debita verò existit & promerita peccatorum remissio, si cogitationem referamus ad Christum.

Respectu cujus gratiam, vel gratuitam peccatorum veniam, cum satisfactione, seu pretii sufficientissimi persolutione, connectit v. 21. *Non sperno gratiam Dei. Nam si ex lege justitia, Christus frustra mortus est.* Idem fit Rom. III. 24. *Justificamur δωρεὰν ipsius gratiâ, per redemptionem, in Christo Jesu, quem Deus proposuit ἱλαστήριον per fidem in sanguine ejus.* Exceptio III. est: *Quicunq; nullam pro peccatis Satisfactionem postulavit, tum ante Legem, tum sub Lege, tum post Legem, ille nec à Christo, ad redimendos homines, pretium ullum accepit. Deus nullam pro peccatis Satisfactionem postulavit, tum ante legem, tum sub lege, tum post legem.* E. Minor probatur, quà membrum primum, quod *ante legem* satisfactione nullâ opus fuerit, exemplo *Abelis* & *Noachi*. *Abel* & à Christo justus pronunciatur, Matt. XXIII. 35. & ab Apostolo Hebr. XI. 4. At justus nemo censendus, nisi qui delictorũ veniam impetravit. Impetravit hanc verò Abel, non quòd in Christum Satisfactorẽ crediderit, sed quod *crediderit Deum esse, & præmia rependere iis, qui ipsi obediunt.* Hebr. XI. 9. Unde *Cainum* torvo vultu fratrem reverberantem, quod clementiori oculo Sacrificium ejus adspexisset, Deus ita affatur: *Quare succensa est ira tua? & quare cecidit vultus tuus: Nonne si bene egeris, remissio: si verò non bene egeris, præ foribus est peccatum excubans?* Gen. VI. 7. *Noachus* præco justitiæ non aliâ indiguit satisfactione, ad declinandum Cataclysmi discrimen, quàm resipiscentiâ, & seriâ pietatis observantiâ, I. Pet. III. 20. & II. Pet. III. 9. *Sub lege,* Deut. IV. 30. XXX. 1. 2. Ps. XXXII. 2. peccatorum condonatio promittitur illis, in quorum spiritu non est dolus. Deniq; *post legem* condonavit Deus peccata, propter *viscera misericordiæ* suæ, Luc. I. 77. efflagitatâ, per *Johannem Baptistam,* solâ resipiscentiâ, Matth. III. 2. In quem etiam finem prædicabat *Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum* Luc. III. 3. Sed Resp. nihilominus negando Minorem. *Abelem, Noachum,* vel ullum alium Sanctorum, sine fide in Christum salutem fuisse consecutum, falsum. *Nec est in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cælo, quod datũ sit hominibus, per quod opor-*

oporteat nos salvari. Act. IV. 12. *Huic omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus qvemvis qvi crediderit in eum.* X. 43. *Confidimus per gratiam Domini Jesu Christi nos salvatum iri, qvemadmodum & illos* (Patres nostros) XV. 11. *Sub lege, Moses* ipse *justificatus fuit fide Jesu Christi.* Hebr. XI. 26. & *sanguis* sacrificiorum *expiavit peccata,* Levit. *XVII.* 11. virtute nimirum alienâ, tanquam typus, unicum illud Sacrificium Christi perse ἱλαστικὸν præfigurans. Hebr. IX. 7. 8. Unde lex *pædagogus ad Christum* audit. Gal. *III.* 21. Sic Luc. *I.* celebratur quidem liberatrix *misericordia Dei,* at non quærenda extra Christum, verum in hujus ipsius merito satisfactorio, vel satisfactione meritoriâ fundata. Rom. V. 8. 9. *Commendat Deus caritatem erga nos, qvod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis justificati nunc sanguine ejus, servabimur per eum ab irâ.* Et Eph. II. 4. 5. *Deus qvi dives est in misericordiâ, propter multam caritatem suam, qvâ dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta, convivificavit nos unà cum Christo, ut ostenderet in seculis supervenientibus eminentem opulentiam gratiæ suæ, benignitate erga nos per CHRISTUM JESUM.* Profanam quoque, exitialem, ac Deo ingratam esse pænitentiam, quam requisivit *Johannes,* absq; fide in Christum, ut constaret, pænitentiæ, in strictiori sensu acceptæ, fides expressè conjungitur. Marc. I. 15. *Agite pænitentiam, & credite Evangelio.* Et Act. XIX. 5. scriptum extat, *Johannem* populum remisisse *ad CHRISTUM, ut in ipsum crederent.*

ἐλεγκτικὸς 1. *Petrus ordinarium Episcopum Romanum neqvaqvam egit.*

Ordinariè enim & ὡς ἐπὶ πλεῖστον, è communi Apostolorum decreto, *Petro* docendi obtigerunt Judæi, teste v. 6. Quod si ergò excursione factâ ad gentes adeò remotas, Romæ sedem Episcopalem fixisset, annon ἀλλοτριοεπίσκοπος falcem misisset in alienam messem, & quod unâ manu ædificarat I. Epist. V. jubens Episcopos pascere gregem commissum, alterâ fuisset demo-

molitus? Ad hæc disertè *Petro* insignitur appellatione *Apostoli v. 8.* Ab Apostoli autem officio planè alienum uni cuipiam alligari loco, instar Episcoporum strictè sic dictorum. Strictè, inquam, dictorum, ne regeratur ipsum Apostolatū vocari Episcopatum Act. I. 2. γενικῶς nimirum sumptâ voce, pro ministerio Ecclesiastico, cujuscunque id fuerit conditionis. Contra *Pontificios*, dum primatum sui Pontificis, quem *Summam rei Christianæ* nominat *Bellarminus*, à successione in locum Petrinum deducunt, eumque Petri Principatum, tanquam *Patrimonium* quoddam à *Christo constitutum*, in Ecclesiâ vigere fictis fabulis tradunt. Gloriationem *Cornelij à Lapide* de unanimi *Consensu omnium historicorum, Patrum, Chronicorum, & monumentorum, ut hac de re & traditione velle dubitare, non possit sani esse cerebri, sed mentis emotæ, aut certè frontis perfrictæ*, abundè confutat ipsa Chronologia. Contendunt enim adversarii *I. Petrum* Episcopatui Romano præfuisse, ac ejus loci cathedram animasse annos 25. *II.* illum una cum *Paulo* è medio esse sublatum, anno *Neronis* 14. Jam tempore Concilii Hierosolymitani, hoc est, anno æræ Christianæ 50. *Claudij* Imperatoris 7. adhuc in Judæâ commorabatur *Petrus*. Ab anno autem Claudii 9. usq; 14. Neronis, interfluxerunt, saltem anni 19. Itaque si annos 25. Petrus vixerit Romæ Episcopus Ordinarius, utique vixit, & Episcopatum administravit, integrum sexennium ab obitu suo.

2. *Ut Primatu etiam Monarchico, inter Apostolos, Petrus eminuerit, tantum abest, ut Prærogativam potius dignitatis non uno nomine sibi vendicet Paulus.*

Ex officio sanè si æstimentur Apostoli, omnes pari passu ambulant, pari videlicet potestate donati, Joh. XX. 21. Matth. XVIII. 18. & XXVIII. 19. Ceterum ὑπεροχὴν aliquam duplici jure meretur *Paulus*. *I. Amplitudine laborum.* *Petro* enim plurimum commercii intercedebat cum Judæis, qui cum Principium fidei, quod eo tempore extabat, Scripturam Canonicam

Test.

Test. V. admitterent, de veritate Conclusionum Theologicarum facilius convinci poterant. *Paulus* verò se occupabat in convertendis gentibus, peregrinis & hospitibus in Scriptis Propheticis, imò hæc ceu mera ludibria ridentibus, ut illarum institutio curæ multò gravioris impendio constiterit. *II. Defensione fidei*, & masculâ torporis teporisque Petrini increpatione, cujus certè audaciam nil ei peperisset, concessâ Petro Superiotate & Primatu Monarchico. Hinc Gregor. I. in I. Reg. IV. *Paulus obtinuit totius Ecclesiæ principatum.* Exceptionem *Cornelij à Lapide: Et ab inferioribus corrigi posse superiores, cum humili charitate, refellit* v. 11. *Cum venisset Petrus Antiochiam,* κατὰ πρόσωπον *ei restiti, & 14. Dixi ei* CORAM OMNIBUS. Ita verò quis auderet *Petro, primo Apostolo, cui claves regni cœlorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis fiduciâ electionis suæ sciens se non imparem?* ait super h. l. *Ambrosius:* suffragante in comment. *Theophyl. Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret.* Etsi nec *Petro* invidemus *Primatum* aliquem *ordinis*, quo, inter multos officio & potestate pares, unus aliquis reliquos præcedit: Idq; ob prioritatem vocationis ad S. Ministerium. Pervenit quidem prius in notitiam Christi, fratrer Petri, *Andreas*, Petrumq; de Christo, tanquam vero Messiâ, scitiorem reddidit Joh. I. 40. at prius tamen Andreâ Petrus in discipulum à Christo adoptatus fuit. Matth. IV. 18. 19. Quamobrem non Patres modò *Primatem Ecclesiæ*, & *Principem Apostolorum* subinde *Petrum* salutant: sed Scriptura etiam, in Catalogo Apostolorum, non rarò primo loco ponit. Quæ aliàs *Primatum Jurisdictionis*, cum unus reliquos sibi simul subjectos tenet, qui ab ipso dependeant, ejusq; judicio acquiescere cogantur, ac sine ejus nutu & arbitrio jure nihil suscipiant, Collegio Apostolico toties excludit, quoties, collisis jam ambitione Apostolis, & moventibus deinde camarinam altercationibus Pseudapostolorum, de prærogativâ dominii Apostolici, modò intermedium, modò penultimum, modò ultimum locum *Petro* assignat.

vid. I. Cor. I. 12. III. 22. IX. 5. & in hoc nostro Cap. vers. 9. Rursus contra *Papistas*, Primatum à *Petro* in *Pontificem Romanum*, Petri successorem, derivantes, cum hodierni, hoc est, passim corrupti *Bernhardi* elogio: *Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu Primatu Abel, gubernatu Noa, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiesedech, dignitate Aaron, authoritate Moses, judicatu Samuel, Potestate Petrus, Unctione Christus*: necnon ementitis literis *Alexandrini Patriarchæ*, ad Pontificem Rom. quibus hic præmittitur titulus: *Patri Patrum, Principi Patriarcharum, Decimo tertio Apostolo, Qvinto Evangelistæ, S. Petri Successori.*

3. Falsò accusatur B. Lutherus criminis falsi, ob additamentum particulæ exclusivæ, in Germanica versione Rom. III. vers. 28.

Tragœdiam hac de caussâ ingentem agunt Pontificii. Sed in nugamentis suis. Tuetur affatim versionis suæ dexteritatem, idiotismo linguæ Germanicæ, *Lutherus* ipse, in epist. Vom Dolmetschen Anno 1530. ad Amicum perscriptâ. Ich hab hie Rom. 3. fast woll gewust/ das im Lateinischen und Griechischen Text Solum nicht stehet/ und hetten mich solches die Papisten nicht dürffen lehren. Wahr ists diese 4. Buchstaben Sola stehen nicht drinnen/ welche Buchstaben die Eselsköpffe ansehen/ wie die Kue ein new Thor. Sehen aber nicht/ daß gleichwol die meinung des Texts in sich hat/ und wo mans wil klar und gewaltiglich verdeutschen/ so gehörets hinein/ denn ich hab Deutsch/ nicht Lateinsch noch Griechisch reden wollen/ da ich Deutsch zu reden im Dolmetschen fürgenommen hatte. Daß ist aber die art unser Deutschen Sprache/ wenn sich eine Rede begibt von zweyen Dingen/ der man eines bekennet/ und das ander verneinet/ so braucht man das Worth Solùm (allein) neben dem Wort nicht/ oder kein/ alß wenn man sagt/ der Bawr bringt allein Korn und kein Geldt. Item ich hab warlich itzt kein Geldt/ sondern allein Korn/ ich hab allein gessen und noch nicht getruncken/ hastu allein geschrieben und nicht überlesen? Und dergleichen unzehliche Weise in täglicheun

lichem Brauch. In diesen Reden allen/ob es gleich die Lateinische/ oder Griechische Sprache nicht thut/ so thuts doch die Deutsche/ und ist ihr art/ daß sie das Wort allein hinzu setzet/ daß das Wort Nicht oder Kein desto völliger und deutlicher sey. Deñ wiewoll ich auch sage/ der Bawer bringt Korn/ und kein Geldt/ so lautet doch das Wort kein Geld nicht so völlig und deutlich/ alß wenn ich sage/ der Bawer bringet allein Korn und kein Geldt/ und hilfft hie das Wort allein dem Wort Kein so viel/ daß es ein völlige deutsche klare Rede wird. Imò nec Scriptura semel rem uno loco absolutè, per affirmationem, & negationem, positam, alibi, adjectione Partic. exclusivæ, clarius explicat. Quod enim legimus Deut. VI. 13. 14. *Non ibis post Deos alienos, sed Dominum Deum tuum adorabis;* id Matth. IV. 11. ita repetitur: *Et illi soli servies.* Quod Deut. IV. 35. scriptum reperitur absolutè: *Ut scias quod Dominus est Deus, & non est alius præter eum;* id itidem exclusivè iteratur Deut. XXXII. 39. *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius præter me.* Sic versio Græca, ad illam Dei προσφώνησιν: Gen. III. *Quis indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod comederis de ligno, de quo tibi præcepi ab eo ne edas;* addit particulam μόνε, sententiam JEHOVÆ ita efferens: τῆς μόνε μὴ φαγεῖν. Versio quoque Latina vulgata II. Paral. XX. pro illis verbis: hoc habemus residui; legit: *hoc solum habemus residui.* Nec *Lutherus* fuit primus, cui part. exclusiva, hoc loco, in mentem venerit. Nititur illa suffragio tum versionis Syriacæ, tum Germanicæ veteris. Germanica enim ante *Luth.* ætatem Confluentiæ edita, similiter sic sonat Rom. IV. 5. in ipso Justificationis articulo: Wir halten dafür das der Mensch Gerecht werde allein durch den Glauben/ ohn die Wercke der Ehe. Syriaca etiam Rom. exclusivam בלחוד disertè inserit, ita habens: *Ei, qui non operatur, sed TANTUM credit, fides imputatur ad justitiam.* Præterea verò se offert in nostro textu v. 16. particulæ exclusivæ, allein/ prorsus æquipollens alia, ἐὰν μὴ, ubi pariter de Justificatione sermo est. *Scimus non justificari hominem ex operibus legis,* ἐὰν μὴ, NON NISI *per fidem JESU CHRISTI.*

Ecquis enim tam crassorum est sensuum, ut non animadvertat ἀνδυναμίαν harum enunciationum: *Nonnisi canis latrat: Et: solus canis latrat. Nonnisi Luna Zodiacum spatio menstruo peragrat: Et: Sola Luna Zodiacum spatio menstruo peragrat. Nonnisi Sol facit æquinoctium: Et: solus Sol facit æquinoctium.* Quare versio Italica citatum Oraculum rectissimè ita reddit: *Ma sola per la fede die Giesu Christum.* Notus enim Canon Logicus: *Ab æquipollente unâ, ad æquipollentem alteram, firmissima est Consequentia.* Exceptioni *Hosii: Opera piorum per se quidem esse imperfecta & immunda, nec justificare posse, per fidem verò aspergi sanguine Christi, indeq; mutuari pretium, dignitatem, & virtutem justificandi, seu remissionem peccatorum, & vitam æternam promerendi. Ut si dicam: Naturalis inclinatio, nisi arte excolatur, non facit præstantes artifices: Item cum Paulus monet I. Tim. V. Contra Presbyterum accusationem non recipies nisi sub duobus testibus; simul adsignificatur etiam naturalem inclinationem suum præstare; in procreandis egregiis artificibus, accedente sc. curâ artis: recipiendam esse presbyteri accusationem, si probari 2. testibus queat;* reclamat συναφεια textus. Hunc enim ad rhombum si faceret allata similitudo, pro stabiliendo sensu conditionali particulæ NISI, subjiciendum fuisset: *Nos credimus, ut per fidem operibus justificemur.* Jam verò inquit Apostolus: *Et nos in Christum Jesum credimus, ut justificemur ex fide Christi, non ex operibus legis.* Manifestum itaq; particulam ἐὰν μὴ non inclusivam esse, sed exclusivam membri præcedentis, ut Marc. XIII. 32. Joh. XV. 4. Rom. XIII. 3. Gal. VI. 4. Apoc. IX. 4. XI. v. ult. Hinc *Sasbout* Pontificius, nimiâ veritatis evidentiâ convictus, ad nostrum textum: *Si quæras, an ex propositione istâ: Homo non justificatur nisi ex fide, rectè inferatur: E. solâ fide justificamur; dicendum, quod sic.* Et paulo pòst: *Hac nostra tempestate Catholici scriptores nullomodo propositionem illam ferunt, putantes venenum esse in illâ voculâ sola, & propterea abstinendum. Veteres tamen non ita abhorrent â voculâ sola, sed nec Thomas abhorrere videtur, si qui, inquit, in veteri lege justi erant, non erant justi ex operibus legis, sed solum ex fide Jesu Christi. Verus sensus Pauli est nonnisi ex fide,*

id

id est, nullis meritis. Cornelius à Lapide regerit: *Hic voculatantùm, solùm, excludit opera legis, non spei, timoris, charitatis, pœnitentiæ, quæ fides gignit & producit, hæc enim sub fide qv. filiæ sub matre intelliguntur.* Syll. *Effectus fidei non sunt opera legis. Opera renatorum sunt effectus fidei. E. non sunt op. legis.* Et consequ. non excluduntur justificatione. R. limitando prædicatum Majoris: *Effectus fidei non sunt op. legis,* tanquam ejusdem effectus. Et sic largimur Syll. totum. Etsi autem opera renatorum non agnoscant legem pro *Causâ efficiente,* respiciunt tamen illam, ut *Principium Normale,* cui quicquid non adamussim congruit, coram DEO reputatur peccatum. Deut. IV. 2. & XII. 32. *Qvod præcipio tibi, hoc tantùm facias, non addas qvicqvam, nec adimas.* Es. XXX. 21. *Hæc est via, in eâ ambulate, non declinetis neqve ad dextram, neq; ad sinistram.* Eph. II. 10. *Illius Creatura sumus, conditi in Christo Jesu ad Opera bona, qvæ Deus præparavit, ut in illis ambulemus.*

Παραινετικὸς *I. Cum timore & tremore salutem operemur.*

Monet hoc expressis verbis *D. Paulus* Phil. II. 12. luculentissimo autem exemplo lapsus *Petrini* v. 12. Quodsi enim tantum Apostolum, immoderatum hominibus placendi & gratificandi studium, transversum abripuit, quid verendum restabit aliis, in contentionem charismatum cum illo minimè vocandis, nî timor Domini ob oculos semper versetur. *Tales errores & peccata Sanctorum proponit Scriptura, in consolationem afflictorum, & in terrorem superborum. Nemo unqvam tam graviter lapsus est, qvi non possit resurgere. Et contra nemo tam firmiter fixit pedem, qvi non possit labi. Si Petrus lapsus, & ego labi possum. Si resurrexit, possum & ego resurgere,* ait *Lutherus.*

2. Cum peccata nostra ipsâ morte Christi expiari oportuerit, & inculpatâ vitæ Sanctimoniâ debitam Deo gratitudinem probemus, & peccatum qvodvis cane pejus & angue fugiamus, par est ac æqvum.

Secus si fiat, offendimus Deum Patrem, qui filium suum morti pro nobis subjecit: Offendimus filium, qui mortem ignominiâ plenissimam, tam prompto animo, subivit: Offendimus Spiniritum Sanctum, pignus & arrhabonem hæreditatis nostræ, hoc tantum beneficium in cordibus nostris obsignare paratum.

3. Rectissimè reprehenditur, qui reprehensione dignum quicquam committit.

Utut non contemnendâ authoritate fulserit *Petrus*, noluit tamen *Paulus* silentio suo participare peccatis alienis, quinpotius illa liberrimâ Oratione castigavit v. 14. Nec *Petrus*, à bonæ conscientiæ munimento relictus, *Paulo* obloquitur; sed increpationem ejus patienti stomacho concoquit. *Meliora quippe sunt verbera diligentis amici, quam oscula fraudulenta inimici.* Prov. XXVII. 6. Cui succinit Psalm. CXLI. 5. *Corripiat me justus, & increpet me, hoc erit pretiosum unguentum capiti meo.* Quo autem jure, in *Jure Canonico*, sancitum est distinct. 40. cap. Si Papa. ne Papæ Romano, aliquot animarum millia in exitium secum abducturo, quisquam dicere sustineat: *Domine Papa, quare hoc facis?* Unde Patres *Tridentini*, cum reformationem Ecclesiæ promisissent in capite & membris, Pontificem tamen Curiamq; Rom. exceptione donandam censuerunt. Pro cujus reverentię cultu, Pontifex, in Cardinalium consensu, Oratione solemni, grates egit.

Παρακλήσις 1. *Qui in Christum credunt, adversus quarumcunq; tentationem tela se tueri, scuto mortis Christi, efficacissimè valent.*

Ejaculatur hujusmodi tela ὠμοβόπχνης Satanas potissimũ in agone mortis, reducendo nos in memoriã peccatorũ, non heri demũ, aut nudius tertio perpetratorũ, sed antiquissimorũ etiam; & vix, ac ne vix quidem agnitorum, eaque supra quam dici

potest

potest exaggerando, ut de possessione cęlestis hęreditatis nos deturbet, ac in desperationis barathrum præcipitet. Elidit autem clypeus fidei in Christum, non frustra mortuum, sed ut nos à maledictione legis, & pœnâ transgressoribus ejus debitâ liberaret v. 21. &, lege amoebæâ, suâ justitiâ muneraretur, adeoque credentibus in ipsum via ad vitam sempiternam, per ipsam mortem, pateret. *Certè unusquisq; tentatur, si non in vitâ, tamen in morte. Ibi cum lex accusat, & ostendit peccata, conscientia statim dictat, peccasti. Si tunc tenes, quæ Paulus hîc docet, respondes: verum est, peccavi. E. Deus puniet, & damnabit te. Non. Imò lex Dei hoc dicit. Nihil mihi cum hac lege. Quare? quia habeo aliam legem, quæ cogit hanc obmutescere, libertatem scilicet. Quam libertatem? Christi. Per Christum enim liberatus sum à lege. Ideò lex, quæ impiis est, & manet lex, est mihi libertas, & ligat meam damnatricem legem. Et sic lex, quæ me ligabat & captivum tenebat, jam ligatur & captiva tenetur per gratiam, seu libertatem, quæ nunc est mea lex.* Ut hoc de suo iterum nobis largiatur *Luth.*

Abutitur

I. *Cornelius à Lapide*, Contra vocationem legitimam *Lutheri, v. 2. Ascendi secundum revelationem, & exposui illis evangelium, quod prædico inter gentes, seorsim autem illis qui videbantur aliquid esse, ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem. Ubi hinc*, ait, *contra Lutherum docet, verbum Dei etiam sinerisimum, omnesq; ejus præcones opus habere testimonio & auctoritate hominum.* Syll. *Quicunq; docet sine testimonio & auctoritate hominum, non est audiendus. Lutherus docet, sine testim. & auctorit. hominum. E. non est audiend.* R. I. Non consonare simpliciter veritati Majorem. Aliàs enim subsumerem: *Moses, Jeremias, Johannes Baptista, imò Prophetæ, & Apostoli universi & singuli, docuerunt sine testimonio & auctorit. hominum.* Ut enim immediatè vocati, sic quoq; auctoritatem docendi nacti fuerunt â Deo solo, ne *Paulo* quidem excepto, qui, quâ de causâ res â se gestas Apostolis recensuerit Hierosolymis, dictum in ana-

analysi textus. Quale verò hinc nascetur Conclusionis portentum: E. *nec Prophetæ & Apostoli fuerunt audiendi.* II. fallit adhæc Minor. Cum namque *Mixta* extiterit vocatio *Lutheri*, partim *Ordinaria*, partim *Extraordinaria*; *Ordinaria* quidem, si spectemus *munus* tam *docendi* publicè veritatem Cœlestem, quàm *defendendi* istam, & *refutandi* quascunque hæreses: *Extraordinaria* autem & *Heroica*, si cogitemus *muneris* hujus *administrationem*, & singularem illum, Divinumq; prorsus ac Heroicum Zelum, quo Reformationis negocium inchoavit, continuavit, & perfecit: Utique præter Testimonium Divinum, humano etiam, humanaq; auctoritate, hancce ad rem necessariâ, minimè gentium caruit. Argumentamur: *Qvicunqve, ritu apud Pontificos antiqvitus solenni, fuit creatus & Doctor Theologiæ, & Presbyter, in Academiâ & Ecclesiâ Leucoreâ, is suffragio humano, & auctoritate Superiorum, ad veritatem Cœlestem tum proponendam, tum propugnandam, satis fuit munitus. Lutherus, ritu apud Pontif. antiqvitus solenni fuit creatus &c.* ℰ. Majorem confirmat usitata formula & Juramenti, & Renunciationis, & Vocationis tam Doctor. & Profess. Theol. quam Presbyterorum. Juramentum nempe Doctorandorum est: *Ego juro Dn. Decano, & Magistris Facultatis Theologicæ, obedientiam & reverentiam debitam, & in qvocunq; statu Utilitatem Universitatis, & maximè Facultatis Theologicæ, pro virili meâ procurabo.* Item: *Vanas, peregrinas Doctrinas, ab Ecclesiâ damnatas, & piarum aurium offensivas, non dogmatizabo, sed dogmatizantes Dn. Decano denunciabo intra octiduum. Et manutenebo consuetudines, libertates, & privilegia Theologicæ Facultatis. Ita me Deus adjuvet, & S. Evangeliorum conditores.* Formula renunciationis Theol. D. referente *Gersone*: *Do tibi facultatem disputandi, docendi, legendi hic, & ubiq; terrarum.* Vocatione ad Presbyterium, & Professionem Theologicam, ista continentur: *Vestrum est legem Divinam interpretari, & librum vitæ docere*, vigore Statutorum Academiæ Vitebergensis. Minor patet. Vocatus enim fuit *Lutherus* ad Presbyterium, & Profess. Theolog. anno 1507. à Johanne *Staupitio*

pitio, Augustinianorum Generali, accedente consensu & confirmatione Electoris *Friderici*: ordinatus autem ab Ordinario suo Episcopo, *Hieronymo* Brandenburgensi, illi admodum gratiosus, facile Papatui vale ultimum dicturo, si splendor Ducis Monsterbergensis sale & farre Lutherano vitam tolerare sustinuisset; idq; ad decretum Patrum Augustinianorum. In Doctorum Theol. promotus anno 1512. die 19. Octobr. Ut sub primordia certaminum, tam Pontificii, quàm alii antagonistæ, vocationem *Lutheri* Ordinariam extra omnem controversiæ aleam collocarint. Hinc ipse in Gal. I. *Quod doceo verbum, baptizo, administro Sacramenta, jussus & vocatus facio. Quia vox DEI est facta super me non in angulo, ut fanatici jactant, sed per os hominis, qui est in functione legitimâ.* Et porrò: *Mihi non licet ire extra hanc sortem meam in aliam Civitatem, ubi non sum vocatus verbi Minister, & ibi prædicare, quatenus sum prædicator, quatenus sum Doctor, possem in toto Papatu prædicare, modò me tolerarent.* Item Tom. V. Jen. Germ. fol. 76. Hie sprichstu vielleicht zu mir: Warumb lehrestu denn mit deinen Büchern in aller Welt/ so du doch allein zu Wittenberg Prediger bist? Antwort: Ich habs nie gern gethan/ thu es auch nicht gern/ ich bin aber in solch Ampt erstlich gezwungen und getrieben/ da ich Doctor der Heiligen Schrifft werden müste/ ohn meinen Danck. Da fieng ich alß ein Doctor dazumal von Päpstlichen und Käyserlichen Befehl/ in einer gemeinen freyen hohen Schuelen/ wie einem solchen Doctor nach seinem geschwornen Ampt gebühret/ für aller Welt die Schrifft außzulegen/ und Jederman zu lehren/ habe auch also/ nachdem ich in solch Wesen komen bin/ müssen darinnen bleiben/ kan auch noch nicht mit gutem Gewissen zurück/ oder ablassen/ ob mich gleich Bapst und Käyser darüber verbannen. Nec non fol. 553. Ich hab es offt gesagt/ und sage es noch/ ich wolte nicht der Welt Gut nehmen für mein Doctorat, denn ich müste wärlich zuletzt verzagen und verzweiffeln in der grossen schweren Sach/ so auff mir liegt/ wo ich sie alß ein Schleicher hette angefangen/ aber nun muß GOtt und alle Welt mir zeugen/ das ichs in meinem Do-

ctor-Ampt und Predig-Ampt öffentlich habe angefangen / und bißdaher mit Gottes Gnade und Hülffe. Ceterum gravissimâ cum Veritatis injuriâ addit Jesuita notam: *Testimonium hoc non pertinere ad laicos, etiam Magistratus, sed ad Petrum & Apostolos, id est, Romanum Pontificem & Episcopos, Apostolorum successores, sive seorsim, sive in communi eorum Concilio: hoc enim suæ & doctrinæ & Apostolatus testimonium petiit Paulus ab Hierosolymitano Concilio, in quo Judices erant Apostoli, Petrus qu. Præses præloquebatur & sententiam dictabat. Sic â tempore Apostolorum hucusq; Orbis Christianus universus in fidei dubiis dogmatibus, subnascentibusq; hæresibus, â Pontifice Romano & Conciliis, quibus vel per se, vel per legatos præest Pontifex Romanus, Veritatis decisionem & testimonium petiit, ab eisq; damnata dogmata, vel doctores pro hæresibus ac hæreticis habet.* Falsum, non competere testimonium hoc laicis, ne quidem Magistratui. Acquisivit Salvator, gloriosâ sui exaltatione ad Dextram Dei, constitutionem Doctorum & Pastorum, Ecclesiæ toti Eph. IV. Toti Ecclesiæ commisit potestatem clavium, seu Ecclesiasticam, cujus pars minimè postrema est vocatio Ministrorum. Matt. XVI. 19. Toti ecclesię demandavit Doctorum discretionem ac explorationem. I. Joh. IV. 1. II. Joh. 10. Matth. VII. 15. Toti ecclesiæ verbi Divini præcones inserviunt. I. Cor. III. 21. 22. Col. I. 25. Tota etiam ecclesia Apostolica potestatem hanc usurpavit. Act. I. 23. VI. 3. XIV. 23. Præcipuum autem Ecclesiæ membrum est Magistratus Christianus, *Nutritius* videl. *ecclesiæ* Es. XLIX. 23. *Custos utriusq; Tabulæ Decalogi* Deut. XVII. 19. *Clypeus & scutum terræ in populo Abrahæ.* Ps. XLVII. 10. Cui danda opera, ut *attollantur portæ, & ingrediatur Rex* Gloriæ, Psalm. XXIV. 7. ad exemplum *Davidis, Salomonis, Josaphati, Hiskiæ, Josiæ, Constantini M. Theodosii utriusq;, Senioris, & Junioris, Martiani, Justiniani, Caroli Magni &c.* Ut hinc etiam liqueat, quanto jure *Lutherus*, de assertâ, suo ministerio, Autoritate Magistratus Politici, glorietur Tom. VI. Jen. ab initio: Wann ich D. Martinus sonst nichts guts gethan hette / denn das ich das Weltliche Regiment oder die Obrigkeit so erleuch-

erleuchtet und geziert habe/ so solten sie doch dieses einigen Stücks halben mir dancken und günstig seyn/ weil sie allesampt/ auch meine ergeste Feinde woll wissen/ das solcher Verstand von Weltlicher Obrigkeit unter dem Bapstumb nicht allein unter der Banck gelegen/ sondern auch unter allen stinckenden lausigen Pfaffen und Münch und Bettlerfussen hat müssen sich drücken und treten lassen. Falsum, solos Episcopos Romanenses γνησίως esse successores Apostolorum. Æstimandi enim hi πρώτως restant è doctrinâ. *Qui eandem fidem profitetur, ejusdem quoq; throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius in throno quoq; censeri debet. Atq; hæc quidem nomen, illa verò rem ipsam & veritatem habet successionis,* inquit *Naziazen. Non habent hæreditatem Petri, qui fidē Petri non habent,* scribit *Ambros.* Lib. I. de Pænit. c. 6. Subscribit ipsum *Jus Canonicū* dist. 40. c. Multi. *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes Multi nomine, pauci opere. Videte ergò, qvomodo sedeatis super cathedram, qvia non cathedra facit Sacerdotē, sed Sacerdos cathedrā.* Anthithesin verò inter Doctrinam *Apostolicam, & Pontificiam*, circa singulos ferè fidei articulos, multoties evicerunt Nostrates, ut præter Tiræsiam nemo non perspiciat, haut aliter *Petro* & Apostolis successisse Episcopos Romanenses, quàm ædificio rudera, luci tenebras, sanitati pestem, corpori cadaver, vino feces, igni cineres. Falsum, in Concilio Hierosolymitano, *Petrum* qu. Præsidem fuisse prælocutum, & sententiam dictasse. Propositio quidem, ventilandam exhibens quæstionem, de obligatione Legis Ceremonialis, audita fuit ē *Petro:* concluſit autem & sententiam definitivam protulit *Jacobus.* Act. XV. 19. confirmationis pondus universo Apostolorum, Seniorum, & Ecclesiæ choro adjiciente v. 22. & hac verborum serie concinnatam epistolam ad Antiochenos mittente: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil amplius vobis imponere &c.* v. 28. Falsum deniq; omnia Concilia, ab Apostolorum tempore, Pontificem Romanum Præsidem fuisse venerata. In concilio *Constantinopolit.* I. Rom. neque per se, neque per legatos adfuit. Adjudicavit hoc autem eadem

privilegia, jura, & honores Episcopo Constantinopolitano, quibus gaudet Romanus, sine Oecumenicâ omni Ecclesiarum inspectione. *Nicenum* (præside ipso Constanto M.) Patriarchæ Romano Metropolitanos reliquos æquavit Can. 6. *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolin, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis (in subordinarias Ecclesias, ut Ruffinus ait) mos est. Ephesinum, & Chalcedonense* non alium illi titulum, quàm *fratris, comministri, Consacerdotis*, impingit. *Sardicense*, ipso inferiores Episcopos reliquos, negat. *Constantiense* decernit: *se habere IMMEDIATE potestatem, cui qvilibet, cujus q; status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, in his, qvæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis & reformationem generalem Ecclesiæ Dei, in CAPITE & membris.* Sess. 4. fol. 849. Suffragante *Basileensi*, sess. 2. fol. 20. Ac, ne inanes verborum projicere ampullas videretur, sed realiter potestatem hanc usurparet, Concilium Basileense Pontificem *Eugenium*, Constantiense autem tres simul Papas de solio suo deturbavit, electo *Martino* V.

II. *Pareus*, cum *Wend.* exerc. 37. §. 11. pro connatâ liberis Christianorum Sanctitate Internâ, & fœderali, v. 15. *Nos naturâ Judæi, & non ex gentibus peccatores.* Syll. *Si olim Judæi nascebantur è Judæis, & sic erant naturâ Judæi, multò magis hodie Christiani nascuntur è Christianis.* Ratio, *qvia gratia novi fœderis nos est debilior, sed validior, qvàm erat veteris. Atqvi verum prius. E & posterius.* R. limitando Majorem: *Si olim Judæi nascebantur è Judæis, & sic erant naturâ Judæi*, tam κατὰ πνεῦμα, quàm κατὰ σάρκα, *multò magis hodie Christiani nascuntur è Christianis.* Sic autem corruere Minorem docemur, Rom. IX. 6. 8. *Non omnes qvi sunt ex Israël, sunt Israël. Hoc est, non qvi filii carnis, ij filij Dei.* Et II. 28. 29. *Non qvi in propatulo Judæus est, nec ea qvæ in propatulo, in carne, circumcisio est. Sed qvi in occulto Judæus est, & circumcisio cordis, in Spiritu, non literâ, cujus laus non ex hominibus, sed è DEO.* Talis quippe circumcisio medium olim suppeditabat, per quod in fœdus gratiæ Judæorum liberi recipiebantur

piebantur Gen. XVII. 10. *Hoc est fœdus meum inter me, & vos, & semen tuum post te, quod servabitis, ut circumcidatur vobis omnis mas.* Cui ad hoc nativitas carnalis propiorem modò aditum conciliaverat. Coruscabant quidem olim Judæi insigni dignitatis prærogativâ, præ quibuscunq; nationib⁹, quoad *externum publicumq; Dei cultum*, non alibi scil. quàm in hoc populo peragendum Ex. XXIX. 42. 43. Ps. LXXVI. 1. 2. & CXLVII. 19. 20. Es. XXXI. 9. Rom. IX. 4. Act. III. 25. 26. At præeminentia tamen, quæ hinc confertur, saltem *corporalis* est, & *temporalis. Spiritualia* si consideremus *bona, salutemq; æternam*, tantum abest, ut singulari aliquo beneficio Judæos mactarit Deus, ut ipsi passim in S. literis populos alios invitent & exstimulent, ad filium religioso osculo venerandum, Ps. II. 12. ad afferenda Domino munera, ad cantandum Domino, ad litandum mystico thymiamate laudis Mal. I. 11. Instantia: *Si liberi civium nascuntur cives, etiam liberi Christianorum nascentur cives ecclesiæ. At verum prius. E. & posterius:* utrâq; fallit præmissarum. Majori, quia â conditione civitatis mundanæ, non licet argumentari ad mysticam Civitatem Dei, vel â jure fori, ad jus poli. Joh. XVIII. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Minori, quia nec jus ipsum Civitatis nativitas civium liberis confert, sed facultatẽ tantùm jus illud faciliori negotio præ aliis adipiscendi. Scitè igitur Tertull. *Non nascuntur, sed fiunt Christiani.* Et *Aug. Non facit generatio, sed regeneratio Christianos.*

III. *Idem* Pareus, pro Syncretismo inter Lutheranos & Calvinianos promovendo, v. 14. *Cum vidissem eos non recto pede incedere, ut veritati Evangelii congruebat, dixi Petro coram omnibus: Si tu, qvum sis Judæus, &c.* Syll. *Qvicqvid compatiuntur dissensiones Apostolorum, Petri & Pauli, id neqve impedire debent dissidia Lutheranorum & Calvinianorum. Fraternitatem Christianã compat. dissens. Apostolorum, Petri & Pauli. E.* Resp. negando Majorem. Tota n. diametro distant dissidia, quæ *Lutheranis* intercedunt cum *Calvinianis*, à dissensionibus *Petri & Pauli.* Hæ solam respiciunt praxin vi-

tæ, illę versantur circa fundamentalia fidei capita, in quibus Apostoli consentientes per omnia sensus aluerunt. Non incommodè triplex statuitur fidei fundamentũ, *Reale, Organicum, & Dogmaticum. Reale,* seu Caussa Prima fidei in animo humano accensæ, quam ille apprehendit, & de quâ salutem sibi spondet, partim *Divina* est *Gratia* Es. *XXXV.* 4. I. Tim. IV. 10. partim *Christi meritum,* fluenta Divinæ Gratiæ in nos derivans. Ps. *CXVIII.* 22. Matth. *XXI.* 41. Act. *IV.* 11. *I.* Pet. *II.* 7. Es. *XXVIII.* 16. Rom. *IX.* 33. Eph. *II.* 20. 21. *I.* Cor. *III.* 11. *Organicum præbet Revelatum Dei verbum,* quo armati ipsi *Calviniani,* adversus Pontificios, in arenam descendunt. Eph. II. 20. *Dogmaticum* exhibet Doctrinam de voluntate Divinâ homines salvandi, & Redemptione factâ per Christum, utraque Universali, Joh. III. 16. I. Tim. II. 6. ut auditâ hac Propositione Generali: *Deus vult omnes homines salvos fieri: Christus omnes homines redemit:* quilibet subsumere queat: *Ego sum homo:* & concludere tandem firmissimè: *E. Deus Me vult salvum fieri. E. Christus Me redemit.* Immittunt autem *Calviniani* arietem tam *huic* Fundamento, quàm *isti,* & *illi. Illi,* Unionem duarum in Christo Naturarum hypostaticam si non *explicitè,* tamen *implicitè* oppugnaudo, & talem formando Christum, in quem fiducia tutò collocari nequeat; cum ἀποτελέσματα Mediatoria mutuam operationem, atq; adeò prprietatum, seu potentiæ operandi, & naturarum communicationem præsupponant: *Calviniani* autem non minus mutuam Naturarum περιχώρησιν, & consequ. Unionem ἀδιάστατον καὶ ἀδιάσπαστον, quàm μετάδοσιν propriorum, perfrictâ & præfractâ fronte, inficientur. *Admonit Neo-Stad.* Cap. 1. pag. 12. & cap. 3. 8. 9. 10. 11. 12. *Conf. Palat.* p. 201. im außfürlich. bericht c. 6. im Grundfest passim, im kurtzen Anhang p. 225. *Isti,* I. veritatem Divini verbi, de voluntate salutifera, vocatione nostri ad salutem, & operatione salutari, per commentum duplicis, contrariæq; voluntatis Divinæ, *signi, & beneplaciti,* labefactando, *Synod. Dordrac.* in judicio exter. p. 224. in Jud. provinc. p. 299. *Palat.* im Außfüet.

Ber

Ver. c. 7. II. verbum vocantis ministri, â verbo Dei hominum salutem seriò expetentis discernendo. *Synod. Dordrac.* in Jud. exter. p. 14. 43. 224. in Judicio provinc. p. 39. 95. 225. III. reproborum perditionem in irresistibile DEI decretum rejiciendo. *Syn. Dordr.* c. 3. 4. in reject. error. p. 306. in jud. exteror. p. 191. IV. Caussam ἀπιστίας idem decretum horridum asserendo *Syn. Dordro.* in Decr. c. 1. in jud. extr. p. 97. &c. *Huic*, tum Deum omnium & singulorum salutem seriò expetere, tum Christum pro universis & singulis fuisse mortuum, apertè plenoq; gutture negando. *Admonit. Neo-Stad.* cap. 1. 3. *Synod. Dordr.* in Jud. provinc. pag. 83. 106. 107. 111. 113. 146. in Jud. exteror. 68. 122. in Jud. paræi p. 248. in Jud. Molinæi p. 340. &c. &c. Cum *Moses Amyraldus* anno 47. ad *Sphanheimium* scripsisset: *Theologos Reformatos, Thorunium, jussu Regis, vocatos, Confessionem fidei suæ magnâ prudentiâ confectam edidisse, atqve in eâ suam de morte Christi, deq; gratiâ & voluntate Dei, circa salutem omnium, sententiam ita declarasse, ut veritati & paci cum Lutheranis constituendæ multum tribuisse viderentur. Nam, & confiteri, Christum esse pro omnibus hominibus mortuum, unà cum ipsâ Synodo Tridentinâ, & statui Dei voluntatem, de omnium salute, non esse in merâ signi repræsentatione positam:* Respondit *Spanheimius: Theologis Polonis nihil opus esse ad pacificationem cum Lutheranis ineundam, standum esse Confessione Ecclesiarum Gallicarum, & decretis Synodi Dordracenæ, qvam omnes Ecclesiæ Reformatæ approbaverint: Se tenere, quid Thorunij gestum esset, idq; se, cum tempus postularet, esse propalaturum; sc. Confessionem hanc servijsse tunc scenæ, per qvandam dispensationem actionum. Amyrald.* in Epist. Apolog. contra præfat. in Animadvers. Exercitat. Spanheim.

IV. totâ serie vers. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. contra veritatem Religionis Christianæ, *Porphyrius.* Syll. *Qvorumcunq; alter turpiter erravit, alter procaciter confutavit illi ambo nec probandi sunt, nec sectandi. Primariorum Apostolorum alter turpiter erravit (Petrus) alter procaciter confutavit (Pualus) E.* Et hanc quidem ad retundendam calumniam, veterum nonnulli, *Petrum* hic reprehensum, non Apostolum

postolum fuisse, sed unum ê 70. Discipulis, finxerunt. *Bell.* Lib. I. de Pont. Rom. c. 28. totus in eo est, ut peccatum *Petri* extenuet, *ceu veniale, levissimum, absq; omni Petri culpâ: quoniam cum vel Judæi convictu cum gentibus, vel gentes secessione ab ipsis offendendæ essent, elegerit offensionem gentium, quam minus malum esse putaverit, cum Judæorum præcipuè apostolus esset. Corn. Lapide* itidē contendit *peccatum Petri leve fuisse & veniale, aut materiale tantùm, ex inconsideratione nimirum, vel defectu luminis & prudentiæ.* At neque folia hæc ficulnea tegendis partibus pudori necessariis idonea facile animadvertit, qui optionem concedi novit inter duo mala pænæ, non autem culpæ, *ac neutiquam facienda esse mala, ut eveniant bona.* Rom. III. 8. Et quâ Suadâ efficietur, ut credamus, ex defectu prudentiæ, seu ignorantiâ, promanasse peccatum *Petri,* circa eam rem, de quâ ille divinitus satis superq; fuerat informatus? Act. X. Aptius R. I. negando Minorem, ob falsitatem membri posterioris: Quod enim *Paulo* procacitatis vitio procacissimè vertit *Prorphyrius,* κατ' ἀλήθειαν è laudabili profectum fuit zelo. Nimirum

Et mala sunt vicina bonis, errore sub isto
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

2. Limitando prædicatum Majoris: *Quor. alter turpiter errav. alter procacit. confutavit, illi ambo nec prob. sunt, nec sectandi, quoad hoc ipsum erratum.* Et sic conced. de *Petro* Conclusionem. Concernit autem error *Petri,* quem tam defensione, quàm imitatione indignum judicamus, *directè* non *fidem,* sed *vitam;* non *theoriam,* sed *praxin;* non *prædicationem,* sed *conversationem;* cum usurpare patefactam divinitus libertatem Christianam nollet, ubi maximè debebat. Sicuti fatetur *Petrus ipse, se esse hominem peccatorem.* Luc. V. 8. Peccatum autem hujusmodi vitæ non magis prohibet infallibilitatem Doctrinæ, in *Petro,* quàm vel in *Davide,* non obstante ingenti crimine adulterii & homicidii, verissimè gloriato II. Sam. XXIII. 2. *Spiritus Domini per me locutus est, & sermo ejus per linguam meam factus:* vel in *Jeremiâ,* diris infaustisq; omnibus devo-

devovente diem natalem c. XX. 14. licet non semel verbum Domini ad illum factum fuerit. *Paulus hîc non agit de lanâ caprinâ, nec de pane lucrando, sed de præcipuo articulo Christianæ doctrinæ. Qui intelligit, quanta sit ejus utilitas & Majestas, illi cetera omnia vilescunt, & nihil fiunt. Quid enim est Petrus, Paulus? quid Angelus è cœlo? quid Universa Creatura ad articulum Creationis? Eo enim cognito, in clarissimâ luce, ignorato, in densissimâ caligine versamur. Contra Porphyrius, & alij spectant magnitudinem dignitatis Petri, mirantur ejus Personam, & obliviscuntur Majestatis hujus articuli,* verba sunt *Lutheri.*

IV. *Piscator,* contra meritum obedientiæ Christi activæ, v. 21. *Si ex lege justitia, Christus frustra mortuus est.* Syll. *Quicunque solâ morte omnem justitiã nobis acquisivit, is nullam justitiæ partem promeritus nobis fuit sanctâ suâ vitâ. Christus solâ morte omnem justit. nobis acquis. E.* Resp. per inficiat. Minoris. Justificari nos per mortem Christi, Scriptura docet, sed *inclusivè*: ἀφ' ἑαυ particulæ exclusivæ, figmentum est *Piscatoris,* ineptè procedentis ab unius affirmatione, ad alterius negationem, & iniquè divellentis quæ arctissimè Scriptura conjungit. Nec saltem necessarium est Satisfactoriæ mortis *antecedens,* sancta Christi vita, veluti *Piscator* autumat, *ut acquirere,* scribens, *nobis justitiam, suâ morte, Christus posset, videl. tanquã sacrificio, necesse fuit ut & sanctè conceptus esset, & sanctè semper vixisset, ut victima esset sancta, & Sacerdos Sanctus:* verum etiam genuinum Redemptionis nostræ συμβολον. Siquidem æquè in locum nostræ culpæ, substitui oportuit Sanctitatem vitæ, ac in locum pœnæ, passionem mortemq; Christi, ut justitiæ Divinæ non ex semisse, sed ex asse satisfieret.

ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΕΣ

I. datur inter vers. 2. *Ascendi juxta revelationem Hierosolymas,* & Act. XV. 2. *Constitutum est, ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis, ad Apostolos ac Presbyteros, Hierosolymam super hac quæstione.* Syll. *Quicq. susceptum fuit è judicio Ecclesiæ, id non est referendum ad revelationem Dei. Iter Pauli Hierosolymitanum suscept. fuit è judicio Eccles. E.* Resp. per inficiat. Majoris, è Canone Philosophico:

Unius rei variæ possunt esse Caussæ, eæq; vel Coordinatæ sibi, vel subordinatæ. Accesit nimirum, ad decretum Ecclesiæ, de hoc itinere *Pauli*, peculiaris Dei revelatio, ut eò minus anceps animi Apostolus penderet, num vox Ecclesiæ, vox Dei esset?

II. Inter vers. 3. *Sed neque Titus, quamvis esset Græcus, coactus est circumcidi*: & Act. XVI. 3. *Paulus assumptum Timotheum circumcidit propter Judæos, qui in illis locis erant.* Syll. *Quicunque sivit circumcidi Timotheum, is ferre etiam Circumcisionem potuisset in Tito. Paulus sivit circumcidi Timotheum. E.* Resp. limitando prædicatum Majoris: *Q. sivit circumcidi Timoth. is ferre etiam Circumc. potuisset in Tito*, sc. ejusdem finis intentione, & eorundē hominū gratiâ. Quomodo largimur Syll. totum. Circumcisus autem fuit *Timotheus*, propter *infirmos fratres*, inter Judæos, retinentes quidem adhuc Circumcisionem, sed ut ἀδιάφορον, ad præcavendum quodcunque scandalum. Quales si circumcisionem postulassent *Titi*, nec ægrè, ut illis gratificaretur, adductus fuisset Paulus, *qui cum liber foret, seipsum omnibus servum fecit, quò plures lucrifaceret.* I. Cor. IX. 19. Secus autem comparatum cum *falsis fratribus*, hostibus Ecclesiæ, & hæreticis, qui circumcisionem obtrudere satagebant, ut necessariam ad salutem, & vel momentaneâ cessione in errore hoc vehementer fuisset confirmati.

III. Inter vers. 6. *Deus est ἀπροσωπόληπτης*: & Ps. XXXIV. 16. 17. *Oculi Jehovæ ad justos: irata autem ejus facies ad facientes malum.* Syll. *Quicunq; aliter respicit pios, aliter impios, ab eo non omnis est προσωπολημψία removenda. Deus aliter respicit pios, aliter impios. E.* Resp. per distinctionem inter προσωπολημψίαν *legitimam, & illegitimam.* De *priori* intelligenda Major, & conced. arg. totum. Committitur autem προσωπολημψία *legitima*, uti à Judice seculari, si ea spectentur in personâ quapiam, quæ caussam in Judicio controversam vel meliorem reddere, vel detetiorem possunt, ætatē puta, vitæque statum; dum v. g. mitius punitur infans viro adulto, nobilis ignobili; quod nec in infante tanta malitiæ προαίρεσις præsupponatur, quanta in adulto; nec tanta in nobili, quanta in

in ignobili; sed uterq; ex humanâ potius imbecillitate, quam destinatâ animi malitiâ peccasse videatur: sic à Judice Supremo, & Oecumenico, dum sententia fertur absolutoria, de piis & credentibus; condemnatoria, de impiis & incredulis. *Illegitimâ* v. προσωπολημψία, attenduntur, in foro politico, illæ Personarum circumstantiæ, quæ ad caussam, de quâ agitur, non pertinent, ut nec addant gradum ullum bonitatis, aut malitiæ, nec adimant: quales sunt opes, affinitates, pulchritudo, formæ spectabilitas, & similia. Ac hujusmodi respectus Personarum nec locum in foro poli ullum invenit: cum nunquam Deus aliquid præstet officio suo peregrinum; neminem rejiciat, ob mundanam paupertatem & miseriam, nemincm serenet clementiâ, ob felicitatem hujus vitæ, ac potentiam.

IV. Inter v. 7. *Mihi concreditum Evangelium præputij, ut Petro circumcisionis:* & Act. IX. 15. *Vas electum mihi est iste (Paulus) ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël.* Syll. *Qvicunq; debuit portare nomen Domini tam coram filiis Israël, qvàm coram gentibus, illius Apostolatus non erat restringendus ad præputiatos. Paulus debuit portare nomen Domini tam coram filiis Israël, qvàm coram gentibus. E. ejus Apost. non erat restringend. ad præputiatos.* Resp. limitando prædicatum Majoris: *Q. debuit portare nomen Domini tam coram filiis Israël, qvam coram gent. ejus Apost. non erat restring. ad gentes* ἀθλῶς. Sic conced. arg. totum. Devolutam quippe in *Paulum* sollicitudinem illuminandi gentes concilium Hierosolymitanum volebat tantùm ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, non prorsus exclusis Judeis. Quemadmodum Petrus, ut plurimùm quidem ac frequentissimè versabatur inter Judæos, sed interdum tamen etiam ablegabatur ad gentes Act. X.

V. Inter v. 14. *Dixi Petro coram omnibus: Si tu qvum sis Judæus &c.* & Matth. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, ito & argue illum inter te & ipsum solum. Qvicunq; corripiendus est seorsim, eum non decet objurgare coram omnibus. Frater errans corripiendus est seorsim.* E. Resp. per distinct. intererrorem *Publicum, & Privatum.* De *hoc* loquitur

loquitur Minor, & sic conced. arg. totum. *Publicum* autem cum esset, & in conspectu plurimorum commissum erratum *Petri*, publicè etiam culpari merebatur; ut reliquos vestigia terrerent, & puritas Religionis nil detrimenti caperet juxta παρρησιαν. I. Tim V. 20. *Peccantes* (publicè) *coram omnibus argue, ut & reliqui metuant.*

VI. Inter v. 15. *Nos naturâ Judæi, & non ex gentibus peccatores*, & Rom. III. 23. *Omnes peccaverunt, & destituuntur gloriâ Dei.* Syll. *Omnes homines sunt peccatores. Judæi sunt homines. E.* Resp. distinguendo inter peccatores consideratos vel ἁπλῶς, vel συγκριτικῶς. Valet Major, si ἁπλῶς spectentur peccatores. Quomodo etiam conced. totum, salvo tamen nostro textu, utpote qui tantùm negat Judæos esse peccatores συγκριτικῶς, è gentibus, ob immunitatem à crassâ idololatriâ gentilium, quæ potissimum effecit, ut in peccatis iisdem æternùm pereundum fuerit.

VII. Inter v. 19. *Ego legi mortuus sum.* Et Rom. VIII. 12. *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Syll. *Debitores actionum legalium, legi non sunt mortui. Renati sunt debitores actionum legalium. E.* Resp. destinguendo inter Legis *obligationem, maledictionem, coactionẽ, & rigorẽ exactionis.* De *obligatione* intelligenda Major, simulq; largiendum arg. totũ. Etsi autẽ renati vitæ universam rationem componere nunquam non teneantur ad præscriptum legis Moralis, tanquam ad perpetuam normam faciendorum, justitiæq; ac voluntatis Divinæ constantem interpretem; mortui tamen sunt, seu liberati, tum à legis *maledictione*, postquam *Christus pro nobis factus est maledictum*, Gal. III. 13. tum à *coactione*, cum *spontaneo Spiritu Deo serviant in decore Sancto.* Ps. CX. 3. nec legis *verberibus* indigeant. Es. IX. 4. tum à *rigore exactionis*, ut immunda etiam & imperfecta nostra obedientia Deo grata sit & accepta. Rom. VIII. 1. οὐδὲν κατάκριμα *his, qui sunt in* CHRISTO JESU.

CAPUT III.

TRibus absolvitur partibus. 1. Apostolus ἐπανορθώσεως telam pertexit. 2. ad dissertationem de Justificatione fidei redit. 3. objectionem unam atque alteram diluit. Ἐπανόρθωσις expendenda offert duo, *Objectum, & Caussam. Objectum* esse perseverant *Galatæ*, quos & amentes detestatur *Paulus*, & fascinatos, acriter orationem figurans tum apostrophe, tum exclamatione, tum interrogatione V. 1. Ὦ ἀνόητοι γαλάται τίς ὑμᾶς ἐβάσκηνε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι. Dictum autem τὸ βασκαίνειν putatur, quasi φασκαίνειν, hoc est, τοῖς φάεσι καίνειν, oculis interimere, vel damni aliquid per invidiam inferre, ut apud *Virgilium* Ecl. 3. *Nescio qvis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Ne in cohortem referatur figmentorum, quicquid de noxiis *Basilisci, & Catoblepæ* oculis, Naturæ consulti prodiderunt, memoratu digna est, ὡς ἐν παρόδῳ tamen, historia *Basilisci Varsaviensis*, quam in aulâ suspensa tabula ab oblivione vindicare debuit. Luserunt aliquando in plateâ pueri, & inter hos machæropæi cujusdam filius, qui, ne â sodalibus inveniretur, in antiquæ domus, cujus sola superfuerunt rudera, cellã se illatebravit. Succedente deinde horâ cænæ, jubetur ancilla herilem filium vocare. Quem cum non reperiret in plateâ, remittitur â pueris ceteris ad locum prædictum. Vix autem ingressa fuit cellam, cum repentinâ vi mortis extincta humi procumberet. Confert se igitur in plateam, & ad eandem cellam hera ipsa, & mox, mortuam conspicata ancillam, ingentem clamorem edit. Concurrit undiq; populus, unaq; Physicus urbis, qui postquam altiori animo recollegisset, quæ de basilisco memorantur, suspicatus est forsan & in illâ cellâ hujusmodi venenatum animal stabulari. Jam capitali susplicio afficiendi erant duo malefici. His optio facta, ut eligerent, utrum redimere vitam pervestigatione talis bestiæ vellent, nec ne. Alter conditionem arripuit. Introivit proinde cellam, speculis â pecto-

Resp. MATTHIAS Menckhusen / Wolgasto-Pom

re & à tergo circumdatus, alterâq; manu facem tenens, alterâ furcam: cumq; perluſt raſſet omnia, tandem exclamavit, conſpicere ſe animalculum non abſimile gallo, idq; extinctum. In mandatis igitur cum Phyſicus illud tradidiſſet, ut hoc ipſum furcâ apprehenſum foràs projiceret, omnium conſpectui expoſita fuit beſtia, ſolidam & expreſſam effigiem posſidens baſiliſci, caudâ videlicet repræſentans ſerpentem, reliquis autem corporis partibus gallum; nec homini tantùm viroſo aſpectu, vel anhelitu pernicioſa, ſed pœnam q. talionis, ad conſpectum imaginis ſuæ in ſpeculo, ſimul experta. Interdum *faſcinare* idem eſt, quod præſtigiis ſenſibus illudere, nempe vel per *Objecti veri remotionem*, quomodo *Fauſtus* ruſtico devoravit currum cum fœno & equis; *Zyto* Pragæ deglutivit ſodalem, tantùm calceos, qui luto obliti videbantur, expuens, feceſſuq; inde petito, ventrem inſolitâ eſcâ gravem in ſolium aquâ plenum exoneravit, ac præſtigiatorem adhuc madidum ſpectatoribus reſtituit deridendum: vel *per alieni objecti ſubſtitutionem*, quo pacto Magi Pharaonis, ſublatis illicò baculis, in locum illorum ſubſtituerunt ſerpentes, clàm aliunde allatos, ut per μεταμόρφωσιν baculorum producti crederentur; & filia *Agamemnonis*, *Iphigenia*, cum ad aram mactanda ſtaret, cõfeſtim à Cacodæmone abrepta fuit, inq; locum ipſius ſubſtituta, eodem curante, cerva: *vel per Phantaſiæ corruptionem*, quà ratione *Fauſtus*, rigenti brumæ tempore, uvas ſucci plenas protulit, quas ubi hoſpites attrectare, & abſcindere conabantur, quivis, loco uvæ, quam ſibi complexus videbatur, naſum tenuit, &, cultro ſupernè appoſito, tantùm non detruncavit: cotem novaculâ ſcidit arusp ex Romanus, reverà à Diabolo confractam: & parentes quidam filiam ſuam in vaccam tranſiviſſe opinabantur, vano glaucomate à Diabolo decepti, donec *Macarius*, fuſis ad Deum precibus, hanc erroris nebulam depelleret. Utraque ſignificatio hîc locum invenit. Nam Pſeudapoſtoli & provocando ad Moſen, Prophetas, legem Dei, Chriſtum juxta legem

legem circumcisum, Ecclesiam Hierosolymitanam legis æmulatricem, nec non *Petrum, Jacobum, & Johannem*, Ecclesiæ columnas, veluti fascino quodam verborum *Galatas* lymphabant, & invidiæ veneno suffusi, pulchritudinem Ecclesiæ Galaticæ lividis oculis intuebantur, ac proinde de adulterandâ eâ cogitabant, & consilia inibant. *Hieronymus: Ex Opinione vulgi sumptum putamus exemplum, ut quomodo tenera ætas noceri fascino dicitur; sic & Galatæ in Christi fide nuper nati & nutriti lacte veluti quodam fascinante sint nociti, & stomacho fidei nauseante Spiritus Sancti cibum evomuerint.* Idem: *Quæq; provincia suas habet proprietates: Cretenses mendaces notat Epimenides: vanos Mauros, feroces Dalmatas Latinus pulsat historicus: timidos Phryges Poëtæ omnes lacerant. Græcis, inquit Tullius pro Flacco, ingenita est levitas & erudita vanitas. In hunc modum arbitror Apostolum Galatas regionis suæ proprietate pulsasse, quod vitio gentis indociles sint, vecordes, & ad sapientiam tardiores.* Caussa objurgationis est ἀπιστία, seu inconstantia, in agnitæ semel veritatis cælestis confessione, quæ cum mitigetur metaphorico fascini vocabulo, præcipuam culpæ partem iterum imputante seductoribus, tum exaggeratur nihilominus I. ab *antecedente*, prædicati Evangelii claritate; οἷς κατ' ὀφθαλμὸς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη, ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος, hoc est, quibus evidenter & vivis q. coloribus repræsentavi non tantùm passionis Christi historiam, verùm etiam uberrimum fructum, non secus acsi coràm crucifixionem Christi spectare licuisset. II. ab *Evangelii effectu*, Donatione Spir. Sancti, ejusque charismatum v. 2. τοῦτο μόνον θέλω μαθεῖν ἀφ' ὑμῶν ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε, ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; quâ sc. Passionem Christi nostram facimus, & tanquam manu apprehendimus. III. â *Consequente duplici incommodo.* Prius est *carnalium cogitationum siniseritas* v. 3. οὕτως ἀνόητοί ἐστε, ἐναρξάμενοι πνεύματι, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε; Cum dictamen carnis, vel rationis corruptæ, non aliam quærere justitiam, quam legalem, vel operum, jubeat, & ad hanc â justitiâ Evangelicâ nos abducat. Adeò nil commercii intercedit Spiritui cum carne. Spiritus San-

ctus est, caro profana. Spiritus Divinus, caro emancipata Satanæ. Spiritus cælestis, caro destinata inferno. Posterius, *persecutionum superatarum inutilitas.* v. 4. τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῇ. Quia tamen spe bonâ sustentabatur, futurum, ut ad se redirent *Galatæ*, addit correctionem: εἴγε καὶ εἰκῇ. Cujusmodi regressum non ferebat Spirituale illud fascinum, quo, dementatus à Satana, tragicum vitæ exitum anno 1527. sortitus fuit D. Krauß / Hallensis, inter voces horrendas: *Ego negavi Christum, ideò jam stat coram Patre & accusat me. Quam cogitationem præstigiis diaboli captus tam fortiter conceperat, ut nullà adhortatione, aut consolatione, nullis divinis promissionibus pateretur eam sibi excuti, atq; ita desperavit, & seipsum miserrimè occidit*, referente super hunc text. *Luthero.* Idem accidit Patrum nostrorum memoriâ *Adamo Neussero, Francisco Spiræ, Jacobo Latomo, Frid. Staphylo & Joh. Stösselio.* Nimirum *Ad. Neusserus* cum transfuga ab ecclesiæ Lutheranæ castris primò ad Calvinianos, deinde ad Socinianos, postea verò ad Mahometanos abivisset, tandẽ, inter summos conscientię cruciatus, vitam cum morte commutavit, Constantinopoli, coram Superioris subsellii viro, palàm ista profatus: *Nisi Calvinianus ego factus fuissem, huc non pervenissem*, & in literis ad *Gerlachium* datis attestatus, nullum sibi notum factum esse Arianum, qui non ante fuerit Calvinista, ut vel hinc unusquisque vitaturus Arianismum vitaret Calvinismum. Sic *Franciscus Spiera*, Italus, JCtus, dum viveret, Nobilissimus, cum integrum sexennium Religionem Orthodoxã non tantum magna παῤῥησίᾳ confessus fuisset, verum etiam pari facundiâ & dexteritate Citadellæ, in municipio agri Patavini, domesticis, quos inter XI. liberos uxor charissima ex ipso susceperat, piè educatos, aliisq; quotidie ipsum adeuntibus, explicatam dedisset, deniq; autem ad declinandam jacturam opum bonorumq; terrenorum, Venetiis, coram Legato Pontificis, & postea Citadellæ è suggestu palinodiam cecinisset, horrendis angoribus miserrimè extinctus fuit, quibuscum, absque alimentis, præter ea, quæ magna

gna cum difficultate, ipsoq; renitente, vi quadam ori instillabantur, 6. amplius mensibus colluctatus est, nullam solatii medelam, quam afferre viri aliquot clarissimi conabantur, recipientibus. *Jacobus* quoque *Latomus*, morti jam vicinus, hanc in vocem erupit: Sibi certò constare, quod ob defensum Papam esset damnatus. Desperavit itidem, ob defectionem à nostratibus ad Papatum, *Frid. Staphylus*; ob susceptum verò Calvinismum, *Stössellius*. Porrò probatur justificatio Evangelica fidei tum κατασκευαστικῶς, tum ἀνασκευαστικῶς, contra Operistas. Κατασκ: rursus I. ab *Effectu Evangelii*, collatione Spirit. Sancti, vers. 5. ὁ οὖν ἐπιχορηγῶν ὑμῖν τὸ πνεῦμα, καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν; ἐξ ἔργων νόμου, ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; Syll. *Quacunq; doctrina confert Spiritum Sanctum, ejus ministerio homo justificatur & salvatur. Doctrina Evangelii confert Spiritum Sanctum. E. ministerio Evang. homo justif. & salv.* Major patet, quia *Spir. S. arrha est hæreditatis, & justitiæ nostræ.* II. Cor. I. 23. Eph. I. 14. Rom. VIII. 16. Gal. IV. 6. Minor nititur experientiâ. Non tantùm enim effusus miraculosè Spiritus Sanctus fuerat, in primo Novi Test. Festo pentecostali, super Apostolos, viros pietatis gloriâ inclytos Act. II. sed largiori quoque hausti illius compotes evaserant, quos Judæi de hæresi notabant, Samaritani Act. VIII. 1. & 14. imò præputiatæ gentes, ab omni operum bonorum merito citra controversiam orbæ, Act. X. 45. ac inter has ipsi *Galatæ*, quibus extra omnem dubitationis aleam Spiritum υἱοθεσίας collocabat non lex, sed Evangelium. Lex enim, quia ad peccatorum agnitionem nos perducit, Rom. III. 20. nullam πληροφορίαν, παῤῥησίαν, θάρσος, πεποίθησιν excitat, quin potius *operatur iram* Rom. IV. 15. ut *ministerium mortis* II. Cor. III. 7.

II. Ab *exemplo Abrahami*, quod uti illustrissimum est, ita quam accuratissimè observari meretur. Cum enim ipse collapsum à diluvio, & eorum, qui Babylonicæ turris ædificationi se accinxerant, dispersione, Numinis nominisq; Divini cultum Heroico fervore instaurarit, venerantur *Abrahamum*

& ſuſpiciunt virum Deo gratioſum, & familiarem, omnes moderni populi, tam *Chriſtiani*, quàm *Judæi*, & *Mahometiſtæ*, vocati olim *Agareni*, ab ancillâ *Agar*, hodie autem ſe jactantes titulo *Saracenorum*, ab uxore Abrahami, *Sarâ*. De hoc igitur v. 6. 7. 8. 9. καθὼς ἀβραὰμ ἐπίστευσε τῷ θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, γινώσκετε ἄρα, ὅτι οἱ ἐκ πίστεως οὗτοί εἰσιν υἱοὶ ἀβραάμ. Quemadmodum enim *Abrahamus* duplicis generis liberos reliquit, alios κατὰ πνεῦμα, veſtigiis Abrahami ſincerâ fide inſiſtentes, alios κατὰ σάρκα: ita his hæreditas ceſſit bonorum corporalium; illi autem poſſeſſionem adeunt ſpiritualium. προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφὴ, (poſita metonymicè pro autore ſui, Spiritu Sancto) ὅτι ἐκ πίστεως δικαιοῖ τὰ ἔθνη ὁ θεὸς, προευηγγελίσατο τῷ ἀβραὰμ ὅτι ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ (ſive per te, hoc eſt, ſingulare illud ſemen tuum, quod eſt Chriſtus, interprete v. 16.) πάντα τὰ ἔθνη. (non exemplariter, ut nugantur Judæi, quod omnes nationes precaturæ ſibi ſint ſimilem felicitatem, ſed propriisſimè, per benedictionis ſpiritualis, âChriſto acquirendæ, fruitionem) ὥστε οἱ ἐκ πίστεως εὐλογοῦνται σὺν τῷ πιστῷ ἀβραάμ. Vanisſima igitur eſt jactantia Judæorum, quam ſæpius ſe audiviſſe *Lutherus* teſtatur: *Vos Chriſtiani habetis Apoſtolos, Papam, Epiſcopos, nos Judæi Patriarchas, Prophetas, imò ipſum Deum, qui nobis locutus eſt in rubo, in Sinai, ubi legem nobis dedit, in templo. Hanc gloriam & tam præclarum teſtimonium proferte pro vobis contra nos.* De *Marcione* hæretico, qui integros 4. verſus hîc expunxit, ſcitè ſcribit *Hieron. Quid juvat iſta ſuſtuliſſe, cum cetera, quæ reliquit, inſaniæ ipſius adverſa ſint.* Syll. *Quocunque modo Abrahamus juſtificatus eſt, eodem & nos juſtificamur. At Abrahamus juſtificatus eſt per fidem. E. & nos per fidem juſtific.* Major liquet, quia una eſt & eadem via, quæ ad Juſtificationem ducit omnes ſalvandos. Unde *Abrahamus* in exemplum proponitur regulæ generalis Rom. IV. 23. 24. *Non ſcriptum eſt propter eum ſolum, quod imputatum fuerit ei* (τὸ credere) *ſed etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus.* Minor confirm. è Gen. XV. 6. *Credidit Abraham Deo* (conqueſtus antea de ἀπαιδίᾳ, & mox juſſus ſuſpicere cælum ac numerare ſtellas,

stellas, indeq; lautissimâ exhilaratus promissione: *Sic erit semen tuum*, è quo nasci debebat Messias, benedictione beaturus omnes gentes v. 12.) *& imputatum hoc ei est ad justitiam*: cum jam multis virtutibus bonisq; operibus fulgeret, observantiam Divinorum mandatorum, familiam deserendo; religionem, altare in terrâ Canaan Jehovæ erigendo; mansuetudinem, Lotho loci commodioris optionem permittendo; Caritatem, & officiorum promptissimam rationem, armatâ manu ejusdem necessitates, adversus 4. Regum injurias, sublevando; gratitudinem, Melchisedeco decimas offerendo, abundè contesseratam dedisset.

Ἀναστρεφικῶς I. Ab *effectu legis* v. 10. ὅσοι γὰρ ἐξ ἔργων νόμου εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσί. γέγραπται γὰρ, ἐπικατάρατος πᾶς, ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου, τοῦ ποιῆσαι αὐτά. Syll. *Quicqvid nos subjicit maledictioni, inde non expectanda est justificatio. Lex nos subjicit maledictioni. E. è lege non expect. justificatio.* Patet iterum Major, quia per justificationem summâ benedictione potimur. Minor confirm. è Deut. XXVIII. 27. tam internam requirente, quàm externam obedientiam, plenissimamq; cum voluntate Divina omnium actionum nostrarum conformitatem, ut, juxta ἐμφασιν verbi Hebr. הקים stare fecit, suo q. e. exemplo factoq; circumvallet, firmet, erigat & stabiliat legem, quod in virium humanarum potestate non amplius proh dolor! situm est. Emphaticè igitur *Lutherus: Hîc vides maledictionem diluvium quoddam esse, absorbens quicquid est extra Abrahamum, hoc est, extra fidem & promissionem benedictionis Abrahæ.* Ratio quæ in scholiis, sub nomine *Hieronymi* extantibus, affertur, *quia ita prævaluerit consuetudo peccandi, ut nemo jam perficiat legem*, ex hypothesi prorsus *Pelagianâ*, transcribente pravæ Consuetudini ἀῤῥωστίαν, quam Scriptura deducit à carne Rom. VII. 18. & VIII. 3. hoc est, â congenitâ peccati originalis labe, evidenti satis documento est, non fefellisse conjecturam ariolum *Augustinum*, dum commentariorum illorum autorem non *Hieronymum*, sed

Pela-

Pelagium ipsum suspicatur. Suspicionem verò *Hieronymi; erasam fuisse notam Universalitatis* כל *respondentem Græco* πᾶς, *è textu Hebræo, à Judæis, ne viderentur ipsi maledictioni subjacere, adeoq; locum hunc esse corruptum, 1. quod Apostoli linguæ Hebrææ peritissimus non aliter videatur allegare verba, quàm legerat in Hebræo. 2. quia etiam 70. Interpreses sic reddiderint, 3. quia ipse legerit in Samaritano quodam Codice Universalem* כל invalidiora tenent fulcimenta. Cum enim hodierni Codices Hebræi tam Judæorum, quàm Christianorum universi, Syncategorematicum כל nesciant, corruptum potius additamento superfluo, Codicem Samaritanum, in quem *Hieronymus* incidit, censere fas est, quàm, concessâ fontium corruptelâ, imprudenter certitudinẽ fundamenti, cui fides nostra superstruitur, labefactare. LXX. autem Interpretes, & secutum hos, cum in omnium versarentur manibus, Apostolum, si satis habuisse dixerimus retinere textus Hebræi sensum, eumq; magis spectasse, quàm verba, ecquid ab illorum more, asseremus alieni? Factum idem versu proximo, ubi vocem Hebr. בֶּאֱמוּנָתוֹ *In fide suâ*, LXX. *Interpr.* cum *Paulo* reddiderunt ἐκ πίστεως αὐτοῦ, *EX fide suâ*, quod præpositiones ἐν, ἐκ, διὰ, hîc æquipolleant. II. â *Testimonio Prophetæ*, v. 11. 12. ὅτι ἢ ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται παρὰ τῷ θεῷ (scrutanti & perspectissima tenenti etiam *occulta cordium* Rom. II. 16. *& tenebrarum* I. Cor. IV. 5. etsi justificari quis possit, & sententiam audire absolutoriam, coram hominibus, manifestando fidem suam operibus justis Jac. II. piè honestèq; vivendo, neminem lædendo, & suum cuiq; tribuendo) δῆλον, ὅτι ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται, ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς. Syll. *Quicquid impetratur per fidem, non est quærendum in lege. Justificatio impetr. per fidem. E.* Major prob. *quia lex non est ex fide,* sed *sicuti in Philosophiâ* (vox est *Lutheri*) *primâ divisione Substantia & accidens distincta sunt, ita in Theologiâ promissio & lex, & per conſ. fides & opera tam longè inter se distincta sunt, quam cælum & terra inter se distinguuntur.* Imò Opera, & fides, seu Lex, & Evangelium, in actu justificationis, è

diame-

diametro sibi opponuntur, quoniam illa justitiam postulat propriam, hoc commendat alienam: illa operanti, hoc credenti: illa sub conditione impossibili perfectæ obedientiæ, hoc absolutè beatitudinem æternam pollicetur. Minor est Habac. II. 4. ter citato in Test. N. non in nostrâ saltem epist. verum etiam Rom. I. 17. & Hebr. X. 38. *Justus suâ fide vivet;* Vitam puta non Physicam, justis & injustis communem, sed *hyperphysicam*, eamq; partim *Spiritualem*, quæ complectitur dilectionẽ Dei super omnia, fiduciam erga Deum in omni necessitate, Invocationem Dei, spem paternæ exauditionis, timorem Dei, Caritatem hostium, patientiam, humilitatem, seriam emendationem vitæ præsentis, & desiderium futuræ; partim *æternam*, præsentiam omnis boni, & absentiam omnis mali. Eleganter de duplici hac vitâ *August.* tract. 124. in Johann. *Duas vitas sibi divinitus prædicatas & commendatas novit Ecclesia, quarum una est in fide, altera in spe; una in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in viâ, altera in Patriâ; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis: Una declinat à malo, & facit bonum, altera nullum habet, à quo declinet, malum, & magnum habet, quo perfruatur, bonum: Una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat: Una fortis est in adversis, altera nihil sentit adversi: Una carnales libidines frænat, altera Spiritualibus delectationibus vacat: una est vincendi curâ sollicita, altera victoriæ pace secura: Una in tentationibus adjuvatur, altera sine ullâ tentatione in ipso adjutore lætatur: Una subvenit indigenti, altera ibi est ubi nullum invenit indigentem: Una aliena peccata, ut sua sibi ignoscantur, ignoscit, altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci: Una flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, ut sine ullâ tentatione superbiæ cohæreat summo bono: Una bona & mala discernit, altera quæ sola bona sint cernit. Ergò Una bona est, sed adhuc misera, altera melior & beata. Tota hîc agitur ista usq; in hujus seculi finem, & illic invenit finem, differtur illa, complenda post hujus seculi finem, sed in futuro seculo non habet finem.* III. à merito Christi, v. 13. 14. χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγό-

ρασεν

ρασιν (soluto pretio mercatus est) ἐκ τῆς καταράς τῦ νόμυ, γενόμενος ὑπὲρ ὑμῶν, κατάρα. γέγραπ) γὰρ, ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλυ (ut plagiarius, contradicens toti Synedrio, Pseudopropheta, adulter, & contaminans filiam Sacerdotis, non saltem ob fœdum, Deoq; ut arbitrantur Judæi, ignominiosum spectaculum; dum homo ad imaginem Dei conditus, & ad ambulandum in terrâ, de ligno pendulus, in aëre à ventis agitatur: sed ob decretum præcipuè Divinum de ipso Dei filio, hoc supplicii genere peccatorum nostrorum pœnam luituro) ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τῦ ἀβραὰμ (comprehendens gratiam Dei regenerantem, justificantem, sanctificantem, & salvantem,) γένη) ἐν χριστῷ ἰησῦ, ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν λάβωμεν τῦ πνεύματος (vel promissum Spiritum, per hypallagen hebraicam (λάβωμεν διὰ τ πίστως. Ubi membrum posterius est ἐξηγητικὸν prioris, & hunc gignit sensum: Christus nos redemit à maledictione, ut benedictionem adipisceremur, atque adeò promissio spiritualis ad gentes æquè, ac Judæos redundaret. Syll. *Aqvocunq; sumus per Christum redempti, ex eo non justificamur. A lege per Christum sumus redempti. E. ex lege non justificamur.* Aptè *Hieron. Domini injuria nostra est gloria. Ille pependit in ligno, ut peccatum, quod commiseramus in ligno scientiæ, ligno deleret appensus. Crux ejus amaras aqvas vertit in dulcem saporem, & securim perditam in profundum q; demersam, missa in fluenta Jordanis levavit. Ad postremum factus est ille maledictio, factus, inqvam, non natus, ut benedictiones, qvæ promissæ fuerunt Abrahamo, ipso auctore & prævio, transferrentur ad gentes, & Spiritus repromissio per fidem illius compleretur in nobis.* Abs re verò autumat, *Paulum* omisisse nomen DEI, quod hîc in Deut. olim non fuerit, sed postea ab aliquo Judæo insertum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum â Deo maledictum credimus. Cum enim Codices omnes Hebræi, Græci, Latini, unaq; LXX. Interpr. reclament, ὁμοθυμαδὸν habentes Nomen DEI, vel â DEO, verisimilius est, *Paulum* hic, more solito, magis tenuisse sollicitum integritatem sensus, quam verborum. Arg. Ultimi, à *propriâ Conditione promissionum Divinarum*

narum, merè gratuitarum, utramq; præmissam proponit v. 18. εἰ γὰρ ἐκ νόμου ἡ κληρονομία, οὐκέτι ἐξ ἐπαγγελίας. Τῷ δὲ Ἀβραὰμ δι' ἐπαγγελίας κεχάρισται ὁ θεός. Addenda saltem restat Conclusio: E. non est ex lege hæreditas. Quæ vox justitiam, vitam æternam, & quicquid suppetit benedictionum spiritualium, uni horizonti includit, & gratuitum Dei favorem atque benevolentiam quam maximè illustrat; siquidem nihil est, quod jure hæreditario nobis obtingat, quin omne nostrum meritum sequestret. Vanissimam exceptionem: abrogatam esse per legem, tanquam posteriorem, Promissionem Dei, ut Abrahamus quidem, ante promulgationē legis, gratis salvatus fuerit, sine opere, solâ fide accipiens remissionem peccatorū: posteros autem, per observationē legis, ad salutē contendere oporteat, præoccupat *Apost.* v. 15. 16. 17. eamq; confutat è loco *comparatorum*, à minori ad majus procedendo: ἀδελφοί, κατ' ἄνθρωπον (more humano, ut κατὰ respondeat Hebr. כ signo similitudinis, veluti Job. XXXI. 33. *Si operui* כאדם *instar hominis, prævaricationes meas.* Ps. LXXXII. 7. כאדם *instar hominum, moriemini.* Os. VI. 7. *ipsi* כאדם *imitatione Adami, transgressi sunt pactū*) λέγω, ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ, ἢ ἐπιδιατάσσεται. Τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐρρέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. οὐ λέγει, καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός. καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι (per enallagen generis masculini pro neutro, in notam personæ, ut Matth. XXVIII. 28. *Docete* πάντα τὰ ἔθνη, *baptizantes* αὐτούς: & Joh. XIV. 26. πνεῦμα τὸ ἅγιον, *quod Pater mittet,* ἐκεῖνος *docebit vos omnia*) Χριστός. τοῦτο δὲ λέγω, διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς Χριστὸν, ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα (quorum computatio inchoanda ab exitu Abrahami ex Ur Chaldæorum, cum ille egressus esset annum 75. Nam à fœdere firmato, & nuptiis Abrahami cum ancillâ, ad natum Isaacum, anni sunt 15. Gen. XXI. 5. à nato Isaaco ad natum Jacob. anni 60. Gen. XXV. 26. à nato Jacobo, ad ejus descensum in Ægyptum, anni 130. Gen. XLVII. 9. ab hoc itinere, ad mortem Jacobi, anni 17. Gen. XLVII. 28. à morte Jacobi,

cobi, ad obitum Josephi, anni 53. Gen. L. 26. hinc v. ad natum Mosen, anni 75. ut ex terminis colligitur, â nato deniq; Mosse, ad exitum populi, & solennem legis promulgationem, anni 80. Ex. VII. 7. qui anni in unam summam collecti efficiunt 430.) γεγονὼς νόμ@, ἐκ ἀκυρῶι, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν. Syll. *Si testamentum humanum robur suum legitimè nactum, & morte confirmatum, irritum reddi nequeat, utiq; & ratum manebit testamentum Divinum, initum cum Abrahamo. At verum prius. E. & poster.* Minor prob. Nam si quis testamenti legitimi attentaverit mutationem, sive per προσθεσιν, sive per ἀφαίρεσιν, gravissimam pœnam lex constituit, ut Rom. I. in catalogum eorum, quos Deus tradidit in mentem reprobam, referantur οἱ ἀσύνθετοι, pactorum violatores. Evictâ a. Conclusione, res omnis in vado est. Testamentum quippe, seu fœdus cum *Abrahamo* divinitus sancitum, benedictionẽ promittit, non propter Opera, sed propter semen benedictum; idq; aliquoties, non tantum Gen. XII. 3. verum etiam XXII. 18. XXVI. 14. XXVIII. 14. Quæ repetitionis frequentia effecit, ut in plurali *Promissiones* Abrahamo dictæ asserantur. Hinc gradus promovetur ad solutionem unius atq; alterius *Objectionis*, in quâ ita se gerit Apostolus, ut simul genuinum *legis usum* edoceat. Prior est v. 19. τί οὖν νόμ@; Syll. *Si lex non justificat, est frustranea. At falsum consequens. E. & anteced.* R. Apostolus: τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη. Quasi limitasset Majorem: Si lex non justificat, *nec alium scopum sibi præfixum habet*, est frustranea. Quomodo larg. totum. Adjecta quippe *lex* propter *transgressiones*, partim sc. *Patefaciendas* Rom. III. 19. partim *cohibendas*, dum, tanquam perpetuum voluntatis Divinæ ἐκτύπωμα, actiones nostras certis cancellis includit, & intra gyrum pietatis, ac honestatis cogit; partim *amplificandas*, &, ratione cognitionis nostræ, *augendas*; Rom. V. 20. partim maledictionibus legalibus *puniendas*, Deut. XXVII. & XXVIII. De hoc legis usu, Prophetico Spiritu *Lutherus: Admoneo pietatis amatores, præcipuè qvi aliqvando aliorum futuri sunt Doctores, ut diligenter ex Paulo*

discant

discant intelligere verum ac proprium legis usum, qui (ut timeo) post tempora nostra iterum obscurabitur, & prorsus obruetur. Nam nobis adhuc viventibus, & summâ diligentiâ utriusq; legis & Evangelii officium & usum monstrantibus, tamen perpauci sunt, etiam inter illos, qui pii videri volunt, & nobiscum profitentur Evangelium. Quid futurum putatis nobis ablatis? Ut interim nihil dicam de Anabaptistis, novis Arrianis, & Spiritibus blasphemis, in Sacramentum corporis & sanguinis Christi, qui æquè ista ignorant, ac Papistæ. Ceterum describitur tum *duratio* legis, tum *promulgatio. Duratio* extendere se debuit usq; ad incarnationem Messiæ, ἄχρις ἧς ἔλθῃ τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται, hoc est, donec promissionem facto prosequeretur Deus, in carne se manifestando, & semen *Abrahæ* promissum omnia executioni traderet, quæ ad redemptionem nostri, à maledictione legis, requiruntur. *Durationem legis & ad literam, & Spiritualiter intelligere licet. Ad literam lex usq; ad tempus gratiæ duravit, Spiritualiter lex non debuit diutius dominari in conscientiâ, quàm ad præfinitum tempus istius seminis benedicti. Quando ergo lex ostendit mihi peccatum, perterrefecit me, & revelavit iram & judicium Dei, ut inciperem pallescere, desperare &c. ibi præscriptum modum, tempus & finem habet lex, ut desinat suam tyrannidem exercere. Luther. Promulgationem* quod attinet, observare habemus *1. Angelicum ministerium, 2. Mediatorium interventum*, istorum tenore verborum: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου, per Hebraismum ביד hoc est, per Mediatorem. Cum enim homo ad peragenda sua opera, manu, tanquam organo organorum, utatur, Hebræi manu alterius factũ dicunt, quicquid alterius ope, studio, aut ministerio in rem collatũ fuit. Ut Lev. VIII. 36. *Fecit Aaron, quæcunq; præceperat Deus in manu Mosis.* Ex. X. 11. *Ad docendum filios Israel omnia statuta, quæ locutus est Dominus ad eos, in manu Mosis.* Num. IX. 23. *Custodiã Domini servabant, secundũ sermonẽ Domini, in manu Mosis.* I. Sam. XXVIII. 15. *Deus non respondet mihi amplius, neq; per manum Prophetarum, neq; per somnia. Ambrosio & Chrysostomo* angeli hîc etiã sunt Sacerdotes: sed stabiliunt abundè significationẽ vocis propriam, loca Parallela, Act. VII. 38. Hebr. II. 2. Ubi *Moses*

in deserto *cum Angelo fuisse*, legem per *dispositionem Angelorum* accepisse, & lex sermo *per Angelos factus* dicitur. Quoniam autem clangor tubæ, coruscatio fulguris, & tonitru fragor, tanto pavore circumfusam Israelitici populi turbam involvebat, ut ferendæ vocis cælestis Majestati non esset, Mediatore ac internuncio opus fuit, quem egit *Moses*. *Moses*, inquam, de quo Joh. I. 17. *Lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Christum facta.* Ex. XX. 19. *Dixerunt Mosi, Loquere tu nobiscum, & audiemus:* quiq; ipse testatur Deut. V. 5. *Sequester & medius fui inter Deum, & inter vos, ut annunciarem verba ejus.* Ut suffragari nequeamus *Chrysostomo, Hieronymo, Bezæ, & Pareo*, qui per Mediatorem Legislationis intelligunt CHRISTUM. ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν: hoc est, ubi Unitas & Concordia, ibi nullus datur Mediator, semper sese occupans inter duo extrema pugnantia. Sicuti *Mosi* negocium facis situm inter Deum, tanquam partem unam, peccatis nostris offensam, & nos, ceu partem alteram, peccantem, peccandoq; offendentem. Errat *Cornelius à Lapide*, dum opinatur, *Deum, in promulgatione Decalogi, non per se locutum fuisse Mosi, sed per angelum, qui tamen Dei personam sustinuerit, loquaturq; qv. Deus, cum ait: Ego sum Dominus Deus tuus* Ex. XX. 2. *sicut legatus Regis loquitur in personâ, Nomine, & auctoritate Regis sui.* Pertinet enim Nomen JEHOVA, qui Ex. XX. 2. loquitur, ἄνευ πλοκῆς positum, ut hoc loco, ad reservata Majestatis supremæ, nulli uspiam Creaturæ assignatum, Es. XLII. 8. *Ego Jehovah, hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam idolis.* Legatus quoq; Regis, etsi in personâ & auctoritate Regis loquatur, nunquam tamen ipso Nomine Regis insignitur: sed quod est, audit, Serenis. Regis Illust. Legat⁹. Adhibuit a. Jehova, cum jam in eo esset, ut solennissimo ritu lex promulgaretur, ministerialem operam Angelorum, ad horrisonam inflationem tubæ, quæ ipsam Jehovæ vocem antecessit: sicuti ad ultimum censendorum hominum diem, executioni legis destinatum, Deus redibit ἐν κελεύσματι Archangeli,

&

& *in tubâ DEI.* I. Thess. IV. 16. Object. II. est v. 21. ὁ ἂν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ θεοῦ. Syll. *Si lex non justificat, adversabitur promissionibus Divinis. At iterum absurdum Consequens. E. & anteced.* R. limitando Maj. Si lex non justificat, *& tamen justificare debet*, adversabitur promissionibus Divinis. Sic larg. totum; Monstrat enim alterum legis usum v. 22. ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα, (hominum cogitata, proposita, & opera) ὑπὸ ἁμαρτίαν (hoc est, peccato & maledictioni subjecit: legalis quidem directè, ac per se, peccata arguendo; Evangelica verò indirectè, & per accidens, eadem præsupponendo; cum nemo nisi peccator Redemptore indigeat) ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ δοθῇ τοῖς πιστεύουσι, hoc est, ut calcar per legem adderetur, ad salutem extra nos quærendam, monstratam sc. per Evangelium in Christo. Idq; officium Legis *Apostolus* duplici *similitudine* illustrat. I. *legem* confert *carceri*, vel *munimento*, *Judæos* Test. Veter. *incarceratis*, *credentes* vero post natum Christum *è carcere liberatis.* v. 23. πρὸ τοῦ δὲ ἐλθεῖν τὴν πίστιν, (non *quâ* creditur, sed *quæ* creditur, sive *Objectum fidei*, Christus, ut metonymicè fides ponitur pro re creditâ, in Phrasi Germanicâ: Der Glaub wird dir in die Hand kommen/ & Gen. XXXI. 43. *timor Isaaci*, pro Deo, quem Isaacus timebat.) ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα, συγκεκλεισμένοι εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι; hoc est, ante ἐνσάρκωσιν Christi, lex τῆς φρουρᾶς supplebat vicem, sive militarem cogitemus, sive Pastoralem. Ut enim Civitates mœnibus, vel aggere cespititio muniuntur, adversus violentam impressionem hostium: ita Deus Judæos cinxerat certâ Oeconomiâ legum Ceremonialium, & forensium, quibus â paganis, tanquam macerie quadam, secernebantur. Utq; oves sepimento concluduntur, contra imposturam luporum: sic lex populo rudi Test. Vet. repagulum variorum præceptorum circumjecit, ne per idololatriam, aliaq; scelerum portenta, à Deo prorsus deficeret, & promissione benedicti seminis privaretur. Deinde *lex* comparatur *Pædagogo*, *populus Judaicus*, *Discipulis*; *cœtus* autem *credentium* Test. N. *arctiori disciplinæ*

vin-

vinculo solutis, postquam ex ephebis jam excesserunt, & primæ ætatis crepundia reliquerunt. v. 24. 25. ὥστε ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστὸν, ἵνα ἐκ πίστεως δικαιωθῶμεν· ἐλθούσης δὲ τῆς πίστεως, οὐκέτι ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν. Pædagogi nimirum est 1. literarum rudimentis, & honestis moribus, ætatem teneriorem imbuere, 2. errata ferulis castigare, 3. discipulos Magistris superioribus uberiori culturâ limandos tradere. Eundem in modum lex 1. πρῶτα στοιχεῖα doctrinæ cælestis, nempe discrimen committendorum, & omittendorũ, inculcabat. 2. delinquentes, pœnarum gravissimarum comminationibus, terrebat: & deniq; præparationem aliquam ad Evangelium, complementum legis & justitiam perfectam ostendens in Christo, adhibebat. Id quod effectum dabat *directè* lex ceremonialis, exhibendo σκιὰν μελλόντων ἀγαθῶν, Hebr. X. *indirectè* autem Universa, tam *Moralis*, quàm *Ceremonialis, & forensis*, detegendo ἀδυναμίαν hominum, debitum legi obsequium præstandi. Ab incarnatione autem Christi, à Pædagogiâ, in libertatem asserti sumus, quà *Ceremonialem*, αὐτῶς, ut nulla sacrificia, lotiones, & ceremoniæ Leviticæ nos amplius obligent; quà *moralem*, παπάπ, si spectes maledictionem, Justificationem, coactionem, & rigorem exactionis: etsi non expiraverit ejusdem obligatio; sicuti provectior ætas non plenè discipulos legibus solvit, sed pœdagogi saltem & pœnarum puerili metu, perennante, per totius vitæ tractum, ratione legibus insitâ, dignâ satis, cui ultroneâ voluntate mos geratur. Atq; hujus tam glorioſæ exemptionis commemoratur, sub capitis calcem, tum *Causſa*, tum πρόσμα. *Causſa* est υἱοθεσία, cujus medium λητπικὸν, *fides*, πρόσδοτικὸν, *baptismus*, v. 16. 17. πάντες γὰρ υἱοὶ θεοῦ ἐστε (emancipati, majorennes, & in plenã hæreditatis possessionem immissi) διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ. ὅσοι γὰρ ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε. Conf. Joh. I. 12. *Potestatem dedit filios Dei fieri quotquot credunt in nomen ejus.* Eph. III. 17. *Per fidem CHRISTUS habitat in cordibus vestris.* & V. 26. *CHRISTUS tradidit semetipsum pro Ecclesiâ, ut sanctificaret eam purificatam lavacro aquæ in-*

in verbo. Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis in Sp. S. quem effudit super nos opulenter &c.* Ne autem fides tantum dignitatis culmen attingere putetur, tanquam qualitas, aut actus, ut *Pontificii* aliàs, cum *Arminianis*, & *Gnosticis*, opinantur, simul exprimitur *Correlatum*, Christus, qui nobis hoc beneficium impetravit, ut ipsum, per fidem & baptismum, cum omnibus bonis ac donis, ceu paludamentum aliquod, & pretiosissimam purpuram induamus, atque sic ornati in conspectum Dei confidenter prodeamus. Induimus enim in Baptismo Christum, non *legaliter*, sive imitatione, quo sensu Rom. XIII. 14. imperatur: *Induatis Dn. JESUM CHRISTUM*, hoc est, imitemini exemplum & virtutem Christi, facite & patimini ea, quæ ipse fecit & passus est: sed *Evangelicè*, seu nativitate ac creaturâ novâ, ipsius innocentiâ, justitiâ, sapientiâ, potentiâ, salute, vitâ, Spiritu beati. Graphicè *Chrysost. & Theophyl. Si Christus est filius Dei, tu verò illum induisti, cum habes filium inte, & in illum per similitudinem transformatus es, in eandem cognationem, unamq; speciem perductus es, gratiâ factus quod ille est naturâ.* Πόρισμα triplex. I. *Distinctionis per legem Ceremonialem cessatio* v. 28. οὐκ ἔνι ἰουδαῖος, οὐδὲ ἕλλην, οὐκ ἔνι δοῦλος, οὐδὲ ἐλεύθερος, οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ, scil. in Christo Iesu, de cujus beneficiis tantum Judæus, quantum & ethnicus; tantum liber, (civiliter) quantum servus; tantum Mas, quantum fœmina, ac nihilo quidem vel plus, vel minus, per fidem participat; sublatâ omni προσωπολημψία, & prærogativâ generis, status, vel sexus, de quâ gloriari homines, hoc in seculo, consveverunt. II. *Mystica animorum Conjunctio* v. 29. πάντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν χριστῷ ἰησοῦ, propter stolam illam justitiæ, quâ nos Christus induit. Notus adagialis versiculus: *Atq; viro vestis magnum decus addit honesta.* At omnia omnium vestimentorum ornamenta, mera sunt inquinamenta, si in contentionem dignitatis vocentur cum unicâ illâ veste, quâ nos Baptismus donat. Cumq; mundus non uno genere utatur vel vestimentorum, vel morum, Spirituali huic vestimento in acce-

ptis referendum, quod jam omnes unum, vel, uti sonat in mascul. gen. textus originalis, ἓς simus, seu svavissimo voluntatum concentu consensuq; colligati; idem sit omnium velle, idemque nolle. III. *Communis promissæ hæreditatis possessio.* v. ult. εἰ δὲ τὰ χριστὸ, ἄρα τὸ ἀβραὰμ σπέρμα ἐστὲ, κὰτ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι. De quâ familiâ quicunque sunt, longè verioribus omnigenæ felicitatis muneribus circumfluunt, quàm quotquot familiam sectantur vel *Dominici*, vel *Francisci*, vel alterius cucullatorum fratrum Patriarchæ.

APHORISMUS

1. Διδακτικὸς: *Objectum adæqvatum fidei Justificantis in Abrahamo fuit, promissio benedicti seminis.*

Ut *Objectum* fidei *Generale*, ratione *assensus*, est omne & solum Dei verbum, cum eodem loco haberi mereantur essentia Dei, & sententia, & per conseq. quicunque non credit omni verbo Dei, Deum neget, seque atheum profiteatur; qualis fuit *Apelles, Marcionita, nil referre* perhibens, *num iis verbi Divini partibus, qvæ ad fundamentum fidei non pertinent, assensum aliqvis præberet, nec ne, modò in Christum crederet crucifixum;* ratione *fiduciæ*, unaquæque promissio Dei, sive Corporalia concernat bona, sive Spiritualia: sic varia ad credendum objecta & promissa fuerunt *Abrahamo*. Promissa terra Canaan, Gen. XII. 7. Promissa multiplicatio familiæ, & amplissima posteritas, Gen. XV. 5. Promissum semen benedictum, hoc est, in quo benedicendę erant omnes gentes. Gen. XXII. 18. Id verò *Paulo* est CHRISTUS, v. 16. *Abrahamo dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, & seminibus, ut de multis: sed ut de Uno, & semini tuo, qvi est Christus.* Hinc *Salvator* Joh. VIII. 56. *Abrahamus gestivit videre diem meum, & vidit, ac gavisus est.* Jam *sicuti Abrahamus credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam; ita scitis qvod qvi ex fide sunt, sint filij Abrahami.* v. 6. In Christum igitur unicè fertur fides Justificans, ut talis, vel *actu interno & formali*: Promissa reliqua saltem respicit actu *externo & effectivo*, è priori promanante. Quemadmodum ideò religio

religio erat *Abrahamo* subdubitare de tantâ amplitudine hæreditatis ac posteritatis, quia firmissimè sibi persuasum habebat, futurum, ut ex suâ familiâ, in terrâ Canaan, nasceretur certum aliquod Individuum, benedictionem illam acquisiturum. *Omnes promissiones referendæ sunt ad primam illam de Christo Gen. 3. Semen mulieris conteret &c. Ita etiam Prophetæ intellexerunt & exposuerunt. Hinc fides Patrum in Vet. Test. & nostra jam in novo eadem est, licet alia atq; alia externa objecta accedant. Id quod Petrus Act. 15. testatur, cum ait: Neq; nos neq; Patres nostri &c. sed per gratiam Dn. nostri JESU CHRISTI credimus salvari quemadmodum & ipsi. Luth.* Contra *Pontificios*, vetantes fidem salvificam ad solum Christi meritum, & in hoc fundatam gratiam Dei restringi.

2. *Doctrina Evangelij, singulis temporibus Ecclesiam personuit.* Προηγγελίσατο *Scriptura Abrahamo: In tuo semine benedicentur omnes gentes*, v. 8. Proinde quamvis, respectu solennis promulgationis, *Evangelium sit mysterium æternis temporibus tacitum*, Rom. XVI. 26. neutitiquam tamen idipsum omnino Patribus ignotum fuit. Et ab *Adamo* quidem usque ad diluvium viridi memoriâ circumferebatur Protevangelium Gen. III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Hujus enim intuitu potiorem Deo victimam obtulit *Caino Abel* Hebr. XI. 4. Natoque *Caino*, exclamavit *Eva* Gen. IV. 1. *Concepi virum Dominũ*, in solo errans suppositio: Nato *Noacho, Lamech* Gen. V. 29. *Hic consolabitur nos de labore nostro, & de dolore manum nostrarum, de maledictione, quà maledixit Jehova terræ.* A diluvio usque ad *Mosen*, promissio Abrahamo facta Gen. XXII. 18. *In tuo semine benedicetur omnibus gentibus terræ;* cujus mentionem noster inspergit textus. A *Mose* ad *Prophetas*, non unum *typorum* genus Personam & officium Christi adumbrabat, ut *rubus ardens, serpens æneus, propitiatorium, agnus Paschalis, Josua, Simson*, cum universo cultu Levitico, & illustrissimo vaticinio Deut. XVIII. 15. *Prophetam è medio tui, è fratribus tuis, sicut ego sum, suscitabit tibi Jehova Deus tuus: ei auscultate.* A *Prophetis* usque ad *Apostolos*, auri- insonabant, fidelium præcipuè, Oracula Prophetæ illius Evan-

gelici, *Esaiæ*, XLIII. 50. *Ecce ego deleo iniqvitates tuas propter me*, & *peccatorum tuorum non recordor*. LIII. 4. *Verè morbos nostros ipse pertulit, & dolores nostros bajulavit*. LXIII. 3. *Torcular calcavi solus, nec est vir mecum &c.*

3. *Evangelium à Lege, tam ratione Objectorum, qvàm promissionum & effectuum, plurimùm differt.*

Conditionatæ enim sunt, hoc est, conjunctæ cum conditione perfectæ obedientiæ, promissiones legales v. 12. *Qvisqvis fecerit ea, vivet per ea:* Evangelicæ autem, respectu talis conditionis, *absolutæ*. Indeq; *effectus* Legis, utut per accidens, est damnare v. 10. *Qvotqvot ex operibus legis sunt, sub execratione sunt.* Evangelii contra, vivificare, ac salvare per Christum, factum pro nobis κατέργον v. 13. In aprico adhæc ponitur diversitas *Objectorum*. Lex quippe versatur circa facienda: Evangelium circa credenda v. 12. *Lex autem non est ex fide, sed qvisqvis ea fecerit, vivet per ea.* Contra *Pontificios*, docentes, Legem Mosaicam, additamento Evangelicorum Consiliorum, à Christo fuisse locupletatam, & *Photin*. somniates, Christum singula Decalogi præcepta, excepto 4. sive per semetipsum, sive per Apostolos, accessione quadam auxisse.

4. *Redemptio Christi Universalis est, ad omnes omnino homines propriis. pertinens.*

Factus enim Christus maledictum pro iis, qvi sub maledictione erant. v. 13. Cui autem peccatori maledictio legis parcit? Ideò mortuus Christus asseritur *pro omnibus* II. Cor. V. 18. etiam *pro pereuntibus* I. Cor. VIII. 11. & Rom. XIV. 15. Siquidem larga nimis illorum messis est, qui verbum salutis, fidei accendendæ ὄργανον, Sacramenta, & Consiliũ Dei de salute suâ, aspernantur, cum Pharisæis. Luc. VII. 30. Act. VII. 51. & Matth. XXIII. 37. Hinc Christus Joh. III. 19. *Hoc est judicium, qvod Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras, qvàm lucem.* Et *Bernhardus: Tantum qvisq; de hisce bonis possidet, qvantum vasa fiduciæ colligit.* Contra *Pontific.* & *Calvin.* quib⁹ Christus omnes redemit non *efficienter*, sed tantùm *sufficienter*.

5. *Me-*

5. *Methodi ratio postulat, ut, apud homines impœnitentes, prædicatio Legis Evangelio præmittatur.*

Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut juſtitia fidei daretur credentibus v. 22. Primum itaque ſecuritatis veterno obrutis terræ filiis annuncianda lex, quâ demonſtretur, ipſos ſub peccato, irâ Dei, & æternâ condemnatione teneri concluſos, ut brontæo hoc terrore excitati, ad agnitionem ſuæ miſeriæ perveniant: Deinde affundendum prudenter, ex Evangelio, oleum miſericordiæ, ut, qui deſperarunt in ſemetipſis, reſpirent & reficiantur in Chriſto, adeoque percuſſi prius *baculo duro* & dolorifero, poſtea dirigantur *baculo miti.* Zach. XI. 7.

6. *Fideles Teſtamenti Novi, inſigni gaudent prærogativâ præ Patribus fœderis antiqui.*

Effulget illa partim ex *Objecto*, partim ex *Adjuncto. Fides* enim *jam venit*, nosque à Pædagogo liberavit v. 25. hoc eſt, exhibitus eſt Chriſtus, & opus redemptionis conſummavit, maledictionem legis ſuſtulit v. 13. & jugum ſceptrumq; exactoris confregit Eſ. IX. 4. ſimulque exorto Sole juſtitiæ, nocturnas tenebras dies excepit, abrogatis umbris Leviticis corpus ſucceſſit, & nos plenâ fruimur hæreditatis cæleſtis poſſeſſione.

7. *Baptismus efficax eſt Regenerationis Organon.*

Argumento validiſſimo eſt *effectus* ipſe. *Quotquot enim in Chriſtum baptizati ſunt, Chriſtum induerunt.* v. 27. tanquam *per lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu S.* Tit. III. 5. non tropicè ac ſolius honoris cauſsâ ſic dictum, ſed realiſſimum & efficiaſſimum, ut *per hoc ipſum is effundatur ſuper nos πλουσίως, & Chriſtus ſibi mundet Eccleſiam non habituram olim maculam, aut rugam, aut ſimile quid, ſed futuram glorioſam* Eph. V. 27. Nimirum cum ubiq; actus ſecundus præſupponat primum, nec induitio Chriſti, vel Unitio noſtri cum Chriſto, regeneratio, aut mundatio à ſordibus peccatorum, tribui poteſt *Baptismo*, ſine præviâ vi & efficaciâ regenerandi, mundandi, nosque cum Chriſto uniendi; ut æquè ſit δύναμις τῦ θεῦ εἰς σωτηρίαν verbum hoc ὀρατὸν, atq; ἀκρο-

σὶν, Evangelium, Rom. I. 16. utpote cujus succinctam qu. epitomen complectitur, cuique dignitatem omnem ac operationem debet. Contra *Calvin. Photin. Swenckfeld. Weigel.* venditantes Sacramenta pro nudis Confessionis nostræ tesseris, & σημείοις merè σημαντικοῖς, quibus populus Christianus discernatur à gentilibus, sicuti ex togâ Romani dignoscebantur à Græcis.

Ἐλεγκτικὸς 1. *Quia Christus nos plenè liberavit à maledictione legis, nullâ amplius satisfactione propriâ pro peccatis nostris indigemus.*

Pontificiorum sententiâ, Christus non satisfecit pro omnibus omnium peccatorum pœnis; sed æternas modò, Passionis suæ merito, mutavit in temporales, vel nobis, si non in hoc seculo, certè tamen in purgatorio, subeundas, vel satisfactionibus novis, sive propriis, sive alienis Sanctorum hominum, avertendas. At v. 13. unicè remittimur ad Satisfactionem Christi. Christus nos à maledictione legis liberavit, factus pro nobis κατάρα. Κατάρα autem omnes complectitur pœnas, non minus temporales, quàm æternas. Frivola est exceptio: Innui liberationem 1. ab *obligatione legis ceremonialis*, 2. *à terrore legis cujusvis.* Loquitur enim Contextus de illâ lege, quæ maledictionum minas in transgressores ejaculatur. Tales autem potissimum jactat lex Moralis, Deut. XXVII. prohibens videlicet ea, quæ καθ' αὐτό, & naturâ suâ, peccata sunt; cum violationes legum ceremonialium in peccatis deputentur, ob solum interdictum Divinum. Adhæc κατάρα utrumque notat, *& terrorem, & terroris originem, execrationem ipsam.* Quomodo Jac. III. 16. ἡ εὐλογία & κατάρα sibi oponuntur. Jmò si ab omni terrore Legis Christus nos liberavit, liberavit utique nos etiam ab omni pœnâ, cum nulla non pœna terrorem incutiat. Quamvis hæc nequaquam eò trahenda sint, acsi improbaremus *Satisfactiones* illas *Canonicas*, sive *Disciplinares*, quæ, ritu antiquitus solenni, præstabantur *Ecclesiæ*, multiplici usu insignes. *Rectè*, inquit *Augustinus*, Enchir. c. 65. *constituta ab his, qui præsunt Ecclesiæ, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in quâ remittuntur ipsa peccata. Et Hieronymus:*

c. 16.

c. 16. in Matth. *Alia est ratio de criminum pœnitentiâ & satisfactione, de quâ Ecclesia quando læsionem accepit & offensa est, publicè suum judicium interponit, indicens satisfactionem publicam & graviorem, ut innotescat omnibus verè pœnitere, qui prompto animo suscipit, quicquid Ecclesia decreverit. Scopus* quippe hujusmodi Satisfactionum, & Disciplinæ Ecclesiasticæ, qua ut in integrũ postliminiò restituatur, conceptis votis exoptandum, concernit partim *Ecclesiam* Universam, partim *lapsos*, partim *Spectatores*. *Ecclesia* scandalis criminum offensa, tali spectaculo publicè testatum efficit, se nulli indulgere licentiam peccandi, impunitate firmatam, ob quam *Evangelium blasphemetur inter gentes*. Rom. *II.* 24. *Lapsi* ritu hoc explorati, seriamne pœnitentiam agant, an fucatam, incitantur ad peccatorum detestationem, timoremq; iræ Divinæ, ac firmum vitæ emendandæ propositum. *Spectatores* vestigia debent terrere, ut, pœnâ quidem ad paucos, sed metu ad multos redundante, cautius sibi à similibus delictis caveant. Improbamus tamen nimiam hujus Consuetudinis admirationem, in quibus dã etiam Patribus, *exhortatoriè* magis, quàm *verè*, per hyperbolen locutis, teste *Chrysostomo*. Quemadmodum *Origines Opera pœnitentiæ* vocat *pretium, quo peccata redimuntur* homil: 15. in Levit. Cypr. lit. I. epist. 3. *Satisfactionibus* itidem *delicta redimi* ait. *Ambros.* in Orat. ad Virg. lapsam: *peccata satisfactionibus expiari*. Aug. in Enchir. c. 70. *Deum per eleemosynas propitiandum*. Gregor. *Qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam studeat licitis abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat.* Quæ ἀκυρολογίαι tandem occasionem subministrarunt errori Pontificiorum, venenum vel ex optimæ probitatis floribus, instar aranearum, colligentium.

2. *Omne peccatum per se, & naturâ suâ mortale est.*

Loquitur hoc ipsum plus satis *effectus*, Maledictio. Omnia enim peccata nos subjiciunt Maledictioni, & quidem, si absolutè illa spectetur, æqualiter v. 10. *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis*. Rursus contra *Pontific.*

eam

eam ineuntes peccatorum divisionem, ut *perse* alia fingant *mortalia*, alia *venialia*. Etsi nec *Joviniano* subscribamus, peccata omnia statuenti paria, etiam ratione *graduum*, cum *Stoicis*; nec *Bezæ*, penitus repudianti distinctionem peccati, in Mortale & veniale, etiam ratione *Subjecti*.

3. *Propriissimam peccati appellationem sustinet Concupiscentia.*

Elevant supra modum Concupiscentiam, præsertim in renatis tesiduam, *Pontificij*. Disputant enim hanc, tanquam *morbidam qvalitatem*, hærere tantùm in *carne*, inclinantem *appetitum sensitivum*, &, mediante hoc, etiam voluntatem ad inferiora. Alii Concupiscentiam Originalem pro nudo venditant *reatu*, propter lapsum Adæ, sine pravitate aliquâ nobis inhærente: sicut pro peccato iniqui parentis aliquando exulant filii, secundum justitiam fori, & ex servis, qui proprio vitio libertatem amiserunt, nascuntur servi, non suâ, sed parentum culpâ: Utque filius scorti sustinet infamam matris, sine proprii criminis plagâ. Cui errori pestilentissimo ut colorem aliquem inducant, avidè conquirunt incommodè dicta Patrum. Quid autem Patres Patrum, *Moses*, *& Paulus?* Damnat uterque, sub reatu maledictionis, omnem transgressionem omnium præceptorum, libro legis comprehensorum. Ille Deut. XXVII. 27. Hic vers. jam jam citato. At libro legis contineri quoque Mandatum, de non *Concupiscendo*, quotumcunque latet? Colligimus itaque nos: *Qvicqvid in hominem derivat maledictionem legis, est peccatum propriissimè sic dictum. Concupiscentia qvævis in hominem derivat maledictionem legis. ε.* Nec obstat, quod *liberati* perhibeamur *à maledictione legis per Christum* v. 13. Quia enim, ad consequendam immunitatem à maledictione legis, etiam ex parte concupiscentiæ, indiguimus liberatore Christo, ἔυδηλον, non competere illam nobis per propriam concupiscentiæ naturam, sed per Dei gratiam. Sicuti Rom. VIII. 1. removet sanè Apostolus à renatis, Christoq; ad hærentibus, omnem *condemnationem* actualem; nequaquam autem omnem *Condemnabilem*

nabilem culpam, agnoſcens impuritatem ſuæ naturæ, *quam nihil habitet boni*, Rom. VII.18.& *gratias agens*,(quod non imputetur) *Deo per Jeſum Chriſtum*. Ut *Tibi* relinquatur, *Domine, juſtitia, nobis autem confuſio faciei* Dan. IX. 7.

4. *Quia Teſtamento nihil vel addendum, vel adimendum, gravisſimâ tenentur pœnâ, tum, propter* ποτηριοκλεψίαν, *&* μεταστοιχειώσεως *ſubſtantialis commentum, Pontificii, tum, propter ſubtractionem Corporis & ſanguinis Chriſti ê S. Cœnâ, Calviniani.*

Argumentatur à *Minori ad Majus*, à Teſtamento humano ad Divinum, v. 15. *Secundum hominem dico, hominis confirmatum Teſtamentum nemo abrogat, aut ſuperordinat*. Ab utrisque autem tam Pontif. quam Calvinian. Teſtamentum à Salvatore, morti vicino, ſancitum immane quantum mutilatur; dum hi Subſtantiam Materiæ cæleſtis, illi terreſtris, Euchariſtià excludunt, alteroq́; actu Sacramentali Communicantibus interdicunt. Utriq́; igitur ſalutari etiam Cænæ Dominicæ fructu, qui ab uſu legitimo & inſtitutioni Salvatoris conformi, in Sacramenti hujus adminiſtratione, pendet, ſemetipſos miſerrimè privant. Etenim perſpicua ſatis, & adverſus omnes inferorum portas invicta ſunt, verba Chriſti, cum, porrecto Pane, inquit: *Accipite, comedite, Hoc*, (quod unà cum Pane comedendum) *eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*: Porrecto calice: *Hoc poculum, eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine*; poſitâ particula ἐν per Hebraismum pro διά. Quamobrem & Panis conſecratus, κοινωνία τοῦ σώματος χριστοῦ, poculumq́; benedictum κοινωνία τοῦ αἵματος χριστοῦ vocatur I. Cor. X. 16. (ſubſtituto in locum concreti, κοινωνοῦ, majoris ἐμφάσεως ἕνεκα, abſtracto, κοινωνία,) & proprium ſanguinis Chriſti, effuſio in remisſionem peccatorum, propter arctisſimam unionem Sacramentalem, poculo, vel vino, tribuitur. Nec obſcura cuipiam videbuntur, *niſi cui oculos Princeps hujus ſeculi excæcavit, ne illis affulgeat clara lux Evangelij gloriæ Chriſti* II. Cor. IV. 4. illa: *Bibite ex hoc omnes*, quos ſcil. manducare paulò ante juſſerat, fidejubente connexionis particulâ ὡσαύτως,

quam Evangelistæ usurpant, ad descriptionem alterius actus Sacramentalis digressuri. Imò tam manifesta sunt hæc universa, ut instar fulminum, antagonistarum nonnullos ἀυτοκατακείτους percellant. Exemplo sit, in Comment. super hunc textum, ingenua Confessio *Parei: Memini anno 1565. quendam Ecclesiæ Patriæ ministrum, virum nec indoctum, nec malum, ex hoc Pauli loco, eum in modum adversus me disputare, ut in suam de orari manducatione me pertraheret sententiam.* Quam temerè autem deinde hac à sententiâ se dimoveri passus fuit Pareus! Pergit quidem: *Verum enim vero boni hi viri multum à scopo aberrant. Primum quidem illud verum est, quod dicunt, Testamentum Christi minus, quam hominis aut principis violare, mutare licere, postquam testatoris morte est confirmatum. Anathema sit, qui in Testamentum Servatoris sanguine firmatum tale quid committit, ut vel jota violet, mutet, superaddat. Quod vero dicunt, Testamentum Christi sancire realem latentiam corporis ejus sub Specie Panis, vel sub Pane, & oralem manducationem ejusdem; adeò non est verum, ut Testamento Christi, & articulis fidei Christianæ nihil sit magis è diametro contrarium.* Ast contrariari testamento Christi oralem corporis Dominici manducationem, dicit ipse, non probat. Manducandum nobis exhibetur, unà cum consecrato pane, corpus Chtisti, eodem actu Sacramentali. Manducatur etiam à multis utrumq; ad judicium indignè, I. Cor. XI. 27. Ecquod autem manducationis illius, quæ fertur in panem, Instrumentum, si ab ore abeamus? Quænam indignis competit manducatio, nisi oralis? Unionem intimam Panis & corporis Christi negare, est Apostolo, Panem quem frangimus Communicationem Corporis Christi appellanti, in os contradicere: siquidem ubique Communicatio Unionem, ut effectus Caussam, præsupponit. Provocat Pareus ad suas exercitat. Provocare & nobis integrum ad Exercit. nostram de ἀδιαφορία Materiæ Cęlestis & Symbolorum terrenorum, in Sacramento Eucharistiæ, *Wendelino* oppositam. Figmentum autem latentiæ, vel inclusionis localis Corporis Dominici in pane, suis

auto-

autoribus relictum esto. Si digitum forsan intentum *Pareus* cupiat ad Cantilenæ rythmicæ verba: Verborgen im Brodt so klein/ palàm facit, se genuinum ejusdem sensum non fuisse assecutum. Innui enim his non localem aliquam, crassam, & Physicam occultationem unius corporis sub altero, quali sub pane dulciario (einer Pasteten/) concluduntur carnes; sed modum Unionis occultum & hyperphysicum, ἀνέκφρασον, ἀνεκφώνητον, ἀνεκδιήγητον, ὑπὲρ νῦν, ὑπὲρ πᾶσαν καταλήψιν κτιστῆς φύσεως, adeoq; vocem verborgen intelligendam esse adverbialiter, varia Nostratium Scripta docent, quæ διεξοδικῶς, & ἀκροαματικῶς Controversiam hanc pertractant.

5. *Impleri Lex Divina â nullo mortalium potest.*

Plutarchus quidem in Solene ait: Δεῖ κεῖ τὸ δυνατὸν τίθεσθαι νόμους. Cui consonat tritum illud: *Ultra posse nemo obligatur.* Sic *Erasmus* arbitratur Deum illusurum esse imbecillitati nostrę, acerbo Sarcasmo, si viribus majora â nobis exigeret; perinde ac si quis claudo aureos montes polliceretur, sub hac conditione, si erectus incederet. *Socinus* dogmatibus pietatem impedientibus accenset, quod Nostrates docent de ἀδυναμίᾳ mensuram Divinæ legis implendi. *Concilij Tridentini* Canon est 18. c. 11. *Si quis dixerit, præcepta Dei homini etiam justificato & sub gratiâ constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Ast non expenderunt illi ingentē differentiā, quà leges Divinæ ab humanis distant. Humanas humanis proportionari viribus largimur. Verum à Deo *si data fuisset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege foret justitia. Conclusit autem Scriptura omnia sub peccato, ut Promissio ex fide JESU Christi daretur credentibus.* v. 21. Nimirum cum leges Civiles tantùm prohibeant turpitudinem externorum factorum, homicidii, adulterii, furti, & similium; Philosophi, paulò ulterius cogitationes mittentes, præterea detestentur ἀπεξίαν internorum affectuum, iracundiæ, invidiæ, immisericordiæ, avaritiæ &c. Lex Divina ipsum accusat cujuscunq; ἀνομίας fontem & scaturiginem congenitam, & stylo plusquam ferreo inscriptam,

ptam, imò inustam πώρωσιν cordis, Jer. XVII. 1. Eph. IV. 18. unde omnes pravæ cogitationes exeunt Matth. XV. 19. singulas actiones tanto inquinamento sordidantem, ut in omni Opere bono peccemus mortaliter, si ad rigorem Divini judicii examinandum foret. De quâ labe & tabe nil constitisse sine Christo sapientibus, testatur effatum *Cicer.* 3. Tuscul. *Sunt ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Senecæ* ep. 96. *Erras, si existimas nobiscum nasci vitia: supervenerunt, ingesta sunt. Arist. Nec vitium, nec virtus* ἐγγίνεται. Unde *Julian.* Lib. 4. contra Augustum multas cumulat veterum Philosophorum sententias, de præstantiâ naturæ humanæ. Ad quas respond. *Augustinus: Quid illi hac de re sapere potuerunt, qui nec legerunt, nec sciverunt illud: Per unum hominem peccatum intravit.* Indeq; non tantùm damnat lex Divina peccata προαιρετικὰ, sed etiam ἄνευ προαιρέσεως commissa, Rom. VII. 14. 15. Gal. V. 17. Parum est, *ignota* insuper & nobis *abscondita* Ps. XIX. 14. & XC. 8. Contrario intinere postulat, præter justitiam politicam & ethicam, de quâ magnificè loquitur *Arist.* V. Ethic. cap. I. μηδὲ ἔσπερος μηδ', ἑῶος ἅτω θαυμαστὸς; plenariam numerisq; omnibus tam graduum, quàm partium absolutissimam, & perfectissimam ὀρθότητα cunctarum facultatum nostrarum, & dilectionem Dei super omnia, tum extensivam, tum intensivam, ex toto corde, ex totâ animâ, & omnibus viribus nostris, Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37. Ut & facta velimus, & faciamus, quæ vult, facitq; Deus; a. a. nos exhibeamus Sanctos, quemadmodum ipse Sanctus est, Levit. XIX. 2. I. Thess. IV. 3. *Ignis ille consumens,* Deut. IV. 24. Hebr. XII. 29. qui nihil ferre potest inquinamentorum. Frustra igitur est *Cornelius à Lapide,* dum *Hieronymi* fretus autoritate, correctionis afferre limam satagit Syllogismo *Calvini,* contra Justificationem Legis, è vers. 10. *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea: Relinquit,* inquiens, (Oraculum hoc) *Minorem, ut experientiâ notam, non hanc, ut vult Calvinus: Atqui ne-*

mo

mo potest facere legem; E. lex impossibilis est, & omnes necessariò sunt sub legis maledicto: hoc enim impium est: sed istam: atqui nemo sine fide & gratiâ Christi facit universam legem. E. sine fide Christi omnes sunt sub maledicto. Ita Hieron. Sic enim lex non est impossibilis, & DEUS non præcipit impossibilia; licet enim per naturæ vires tota impleri non possit, potest tamen impleri per vires gratiæ, quas Deus credentibus & orantibus omnibus, tam Judæis, quàm gentibus, per Mediatorem Christum paratus est dare. Novimus sanè Patres aliquid humani quandoq; passos, nec tantùm, Pelagianis nondũ litigantibus, sed sub initium etiam certaminis à Pelagianis moti, securius locutos fuisse; indeq; inaccuratius tum *Hieron.* ad Objectionem: *Anathema sit, si quis dixerit, Deum præcepisse impossibilia;* respondisse: *Sunt impossibilia naturæ, sed possibilia gratiæ:* tum *Augustinum: Gratia sanat voluntatem, ut sana impleat legem.* Quemadmodum autem verè *Scaliger* ille aliger: *Ab adversario mota quæstio occasio est discendi;* & in adagio Φρονίδες δεύτεραι σοφώτεραι judicantur: ita quoque *August.* scribendo proficiens, & proficiendo scribens, cum animadverteret arripi suam sententiam à *Cœlestio, Pelagij* discipulo, & inferri: *E. homo, licet non possit naturalibus liberi arbitrii viribus perfectè satisfacere: Potest tamen accepto Spiritu renovationis, perfectâ obedientiâ implere legem, ita ut sine peccato esse possit: quia quando quis satisfacit legi: quando non est reus in aliquo mandato Dei, quando lex non potest aliquid accusare in homine &c. tunc est sine peccato, quia peccatum est ἀνομία:* expensis penitius Scripturæ Testimoniis, nobiscum asseruit: *Nec renatos, qui aguntur Spiritu Sancto, in hac vitâ, ad illam pervenire perfectionem posse, quam lex requirit, sed eam demum consecuturos esse in vitâ futurâ* Lib. de Spir. & lit. c. 36. & Epist. 15. ad Hieron. Ubi hoc insuper extat pronunciatum prorsus Lutheranum: *Tunc tota lex impletur, quando quicquid non fit, ignoscitur.* Ut silentii sipario involvamus integrum librum *Augustini*, oppositum corruptelis *Cœlestij* (minimè cælestis) de perfectione justitiæ (legalis) in hac vitâ.

6. *Nemo etiam est à peccati labe prorsus immunis.*

Pontificij contendunt multos peccatis actualibus usita caruisse, ut illorum Sanctitas in thesauris Ecclesiæ reponi, & applicari aliis possit. *Mariam* vero noxæ insuper peccati originalis eximunt. Cui à nonnullis additur *Joannes Baptista, & Jeremias.* Quid iterum Scriptura? *Conclusit hæc omnia sub peccato*, v. 21. Conf. I. Reg. VIII. 46. Prov. XX. 9. Jacob. III. 2. Rom. III. 23. Ps. CXXX. 18. CXLIII. 2.

7. *Ingentem redolet superstitionem Baptismus Campanarum.*

Campanarum Baptismus institutus primùm à Joh. XIII. ita administratur à *Pontificiis*, ut nihil intermittant eorum, quæ ad Substantiam Baptismi requiruntur. Invitantur adhæc Susceptores, tribuitur etiam baptizatis campanis singularis efficacia pellendi omnes diaboli insultus, fugandi tonitrua & fulgura, excitandi devotionem, & salutem deniq; promovendi defunctorum. Quem abusum turpissimum S. Baptismi detestantur, in comitiis Noriberg. anno 1522. celebratis, *Imp. & status Rom. Imp.* in gravaminibus Legato Pontificio oblatis, hac verborum serie: *Suffraganei excogitaverunt, ut solùm ipsi, & non alius Sacerdos Laicis campanas baptizaret. Credunt deinde simpliciores, ita affirmantibus suffraganeis, tales campanas baptizatas pellere Dæmones & tempestates. Quapropter innumeri plerumq; adhibentur Compatres, præcipuè vero qui fortunà pollent exorantur, qui baptizationis tempore funem, quo campana religata est, tangunt, ac suffraganeo præcinente, quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet, omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant, vesteq; novâ campana induitur, inde ad sumptuosum properatur convivium, quibus præcipuè compatres, ut eò largius munera offerant, adhibentur, nec non suffraganei & eorum capellani cum multis aliis minoribus regaliter pascuntur. Neq; hoc satis est, sed & suffraganeis mercedem solvi necesse, quam illi munusculum vocare solent. Inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis 100. floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione.* Nos breviter ex *effectu* baptismi, juxta vers. 26. *Quicunq; baptizati estis, Christum induistis*, concludimus: *Quicunq; Christum induere nequeunt, non debent baptizari. Campanæ Christum induere nequeunt. E. Camp. non debent baptizari.*

Nai-

Παραινετικὸς 1. *Non sufficit bene cœpisse in studio stadioq; pietatis, sed perseverantiâ quoq; opus est.*

Ideò quippe culpantur *Galatæ*, quod *Spiritu* quidem *cœperint, sed carne consumment*, v.3. Similiter à nobis ad metam usque cursus continuandus est, si optatum reportare brabæum cupiamus. *Qui perseveraverit usq; ad finem, salvabitur*, inquit Salvator Matth. XXIV. 18. Et Apoc. II. 10. *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

2. *Nemo Christianorum, ob mundanam felicitatem, si adsit, cristas erigat, nemo itidem, si absit, luctu se abjiciat.*

Quoad Spiritualem enim & præcipuam beatitudinem, *omnes sumus* pares, imò *unum*, vers. penult.

3. *Mandatorum Divinorum tantò nos esse observantiores debemus, quanto gravioris pœnæ reatum transgressores incurrunt.*

v. 10. *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.*

Ἐπανορθωτικὸς 1. *Prudentiæ Spiritualis est, ita attemperare correptionem, ut correctionem & salutem proximi unicè intendi constet.*

Nil enim aliud, objurgatione *Galatarum*, per totam epistolam egit *Paulus*, quàm ut in regiam veritatis viam hinc inde palantes infirmos fratres revocaret, & ita *salvaret animas illorum*, Jac. V. 20.

2. *Pessimè factum, ut bona Ecclesiastica, per viam legitimorum Testamentorum, piis caussis olim deputata, multi Nostratium abalienarint, & in usus profanos converterint.*

v. 15. *Pactionem humanam κεκυρωμένην nemo irritam facit.* In abusum si talia tracta fuerint à Papistis, meminerimus illius: *Usus habet laudem, crimen abusus habet.* Item: *Tollatur abusus, maneat substantia rerum.*

Παρακλητικὸς. *Solatij plenissima est basis Justificationis nostræ, beata permutatio inter Christum & nos facta.*

Nos obnoxiam cervicem maledictioni reddideramus ex rigore legis Divinæ, Deut. XXVII. *Maledictus qui non permanserit*

ſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Chriſtus autem erat θεὸς εὐλογητὸς εἰς αἰῶνας. Rom. IX.5. Et ecce Chriſtus noſtro loco fit κατάρα v. 13. ſuſcipiens quod noſtrum erat, ut nos reciperemus quid illius eſt, benedictionem cæleſtem v. 9. & 14. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros portavit* Eſ. LIII. 4. *Verè* igitur, & per *realiſsimam imputationem*, nobis vicisſim communicatur juſtitia Paſsionibus ipſius parta. Quam qui *putativam, i.e. imaginariam, & Phantaſticam* rident Empectæ, ſuo id faciant periculo.

ABUTITUR

I. *Pareus*, pro efficaciâ fidei res abſentisſimas ſiſtendi præſentes, v.1. *O amentes Galatæ, quis vos faſcinavit, ne obſequeremini veritati: quibus ob oculos Jeſus Chriſtus prius fuerat depictus, inter vos crucifixus? Fides*, ſcribit, *etiam procul disſita cernit. E. fides Chriſtum in cæleſti gloriâ procul disſitum in verbo cernit præſentem. Fides Chriſtum Hieroſolymis olim crucifixũ in S. euchariſtiâ intuetur, & manducat præſentem, ejusq; cruci gratâ recordatione adhæret. Rideant ergò carnales homines, quantum voluerint, quod docemus ad communicationem corporis Chriſti in S. euchariſtiâ, ejus præſentiâ, ſeu latentiâ in elementis terrenis haud opus eſſe.* Syllogiſticè: *Quicquid etiamnum intuetur Chriſtum crucifixum, ut præſentem, id præſentes ſiſtere res abſentisſimas valet. Fides etiamnum intuetur Chriſt. crucifix. ut præſentem. E. fides præſentes ſiſtere res abſentiſſ. valet*; & per conſeq. etiam *corpus Chriſti in S. Cœnâ*, ut ut tanto intervallo diſtet à conſecrato pane, quanto cælum ſupremum à terrâ. Reſp. per diſtinct. inter præſentiam *realem* & *idealem*. De *hac* valet Major, & nos conced. arg. totum. προεγράφη ſanè Galatis crucifixio Chriſti tam evidenter, ut in rem q. præſentem ducti fuerint. Attamen quia id factum per figuram & picturam, ὡς ἐν τύπῳ, non aliam Galatis præſentiam crucifixionis Chriſti conciliavit, quàm *intentionalem*, quomodo juxta *Ariſt. homo cognoſcendo omnia, fit omnia.* 3. de an. t. 6. per & propter imagines rerum, objecta Intellectui repræſentantes. *Realem* vero ſi præſentiam inferret intuitus fidei, non modificandæ

candæ ſecundum conditionem objectorum, ut abſentia apprehendat, tanquam abſentia, ſolaq; ὄντως præſentia, tanquam præſentia, quî *Patres* T. V. dicerentur *concluſi in fidem REVELANDAM?* v. 23. ſive credidiſſe in Chriſtum VENTURUM? Matth. XI. Num credenda etiam nobis foret vel præterita Creatio Mundi, vel futura παλιγγενεσία, nec præſens utraq;, hoc ipſo temporis puncto, exiſteret?

II. *Judæi*, contra officium Chriſti Mediatorium, v. 13. *Chriſtus pro nobis factus maledictum.* Syll. *Quicunq; eſt ſub maledictione Dei, is Salvatoris fungi officio nequit. Chriſtus eſt ſub maledict. Dei. E.* R. limitando Subjectum majoris: Q. eſt ſub maledictione Dei, *ſuâ ipſius culpâ*, is Salvatoris fungi officio nequit. Sic corruit Minor. Tranſtulit enim in Chriſtum maledictionem Divinam reatus culpæ alienæ, ſponte ſuſceptus, ejusque Sanctitati & benedictioni Spirituali nihiloplus derogans, quàm innocentiæ obſtitiſſet, ſi vel *Sadrach*, *Meſach*, & *Abednego*, vel *Eleazarum* nonagenarium ſub Antiocho, vel cum 7. filiis *gloriosam matrem*, vel *Mardochai* manſiſſet ſuſpendium.

III. *Beza*, contra Interpretationem Catholicam de Perſonâ Chriſti, verſ. 16. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus*; vocabulo ſeminis, quod hîc πληθυντικὸν eſſe, & ſignificativum univerſorum fidelium, contendit. Syll. *Quicquid loquitur de duobus populis in unum corpus myſticum Eccleſiæ coalituris, id non eſt explicandum de Perſonâ Officioq; Chriſti. Oraculum promittens benedictionem omnibus nationibus de ſemine Abrahami, loquitur de duobus populis in unum corpus myſticum Eccleſiæ coalituris. E.* Reſp. negando Minorem, palàm contradicentem Apoſtolo, cum diſertè monet, non verba facere promiſſionem ſeminis, benedictionem allaturi, *de multis, ſed de uno, & hunc eſſe Chriſtum.* Quàm abſurdè adhæc Eccleſia ſtatueretur benedicenda in ſemetipsâ? Exceptionem *Bezæ*: *Promiſſionem eſſe factam Abrahamo & ſemini ejus, abſurdè autem dici benedictionem promiſſam Chriſto*; diluit diſtinctio inter *meritum* benedictionis, & *fructum*. *Illud* ſi ſpectes, ad Chriſtum pertinet

benedictio promissa, cum per ipsum acquirenda fuerit: Sin hunc, ad Ecclesiam Catholicam, acquisito beneficio lætam & beatam. Nec ulla nos cogit necessitatis clava ab exemplaribus plerisq; omnibus hîc recedere ad illa, in quibus *Erasmus* & *Musculus* legerunt σπέρμα ὃ, non ᾧ ἐπήγγελ). Absre etiam *Calixtus*, in comm. super hunc locum arbitratur, *vocabulo seminis indicium potius fieri, unius alicujus Individui, quàm firmum argumentum contineri; nec ab Apostolo aliter qvàm indicii loco allegatum fuisse.* Nihil enim est, quod ad enervandum probationis, quam Catholici hinc petunt, robur, in medium afferre *Calixtus* valeat. Neque hîc nostrum facimus, quod de *Pythagorâ* quondam usurpatum fuit, altiq; silentii suffragium imperavit adagium: αὐτὸς ἔφα: Sed quicquid de Scripturis Sacris non habet autoritatem, pari facilitate rejicimus, quâ asseritur.

IV. *Huberus*, pro Universalitate Electionis, v. 8. *Benedicentur in te omnes gentes.* Syll. *Cujuscunq; Caussa est Universalis, ad omnes promiscuè homines se extendens, idipsum qvoq; Universale est. Caussa Electionis, Redemptio & acqvisitio benedictionis per Christum, est Universalis.* ℰ. Resp. neg. Minor. Caussa enim Electionis proxima non est meritum Christi, absolutè spectatum; sed ut apprehendendum perseverante fide, quæ redemptionem & meritum Christi nostrum facit, *neq; est omnium* II. Tess. III. *Qvi sunt ex fide Abrahami, sunt filij, & benedicuntur cum Abrahamo* v. 7. Quot autē dantur ἄθεοι, omnis Religionis securi, fidemq; omnem pretio & palato addictam tenentes? quot idololatræ, illegitimo tramite ad salutem contendentes, per merita suorum operum? quot hypocritæ, fidem non in fibris natam, sed in labris, fucatam & simulatam, ostentantes? Nec obstat, quod per Christi Redemtionem plenè restitutum sit, quicquid in Adamo est perditum; hoc autem ambitu suo complectatur etiam prædestinationem ad vitam æternam, cum ad hanc omnes Deus in Adamo condiderit. Confunditur nempe *acqvisitio* beneficiorum Christi cum *applicatione*. Nihil sanè est, cujus jacturam Adamus passus fuerit,

fuerit, quin omni ex parte repararit Christ9; at particularis tamen manet, & credentium propria, applicatio. Ut igitur Christus salutem in Adamo amissam plenè restituit, licet actu omnes non salventur: ita nec omnes ad fruitionem salutis sunt electi, etsi Christus ipsam ordinationem ad salutem Universalissimam promeritus fuerit: ut, si perseveranter crederent omnes, omnes pariter, proprio nunc electorum, brabæo æternæ beatitudinis potiri possent. Si absoluto, & causas omnes antegresso Consilio, Deus decrevit omnes homines eligere, & vitæ æternæ hæredes constituere, vel scivit plurimos suo sibi jumento æternæ miseriæ cladem esse attracturos, vel nescivit. At neutrum asserendum. Non prius, quia labefactat Divinam omnipotentiam. Non posterius, quia evertit Divinam Omniscientiam.

V. Pro meritis Bonorum Operum, *Cornelius â Lapide*, v. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus*, nec non Oraculo, ad quod digitus intenditur, Gen. XXII. 16. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gentes. Colligunt inde*, ait, *interpretes, Abrahamum hac obedientiâ filijq; victimâ meruisse, ut ex suâ potius stirpe, quàm aliâ, imò ex eodem Isaac, quem immolare voluerat, nasceretur Christus, per quem omnes gentes benedicerentur.* Syll. *Quicquid promissum fuit Abrahamo, quia obedivit Deo, id obedientiâ suâ Abrahamus promeruit. Nativitas Messiæ ex stirpe Isaaci ita promissa fuit Abrah. &.* Resp. negando Majorem. Fatetur particulam *quia* non saltem ἀιπολογικῶς, verum etiam λογικῶς in Codice S. usurpari, sive, non causalitatem semper designare, sed quandoq; nudam præbere notam Consequentis, præter *Toletum, Estium, Salmeronem*, in Comm. super Luc. XVII. 47. *ipse Cornelius â Lapide* in Es. LXI. 1. Λογικὴν autem significationem & Gen. XXII. 16. occurrere probatur ex eo, quòd Salutis nostræ universa Oeconomia, non sinens ambitu suo excludi Nativitatem Salvatoris, operibus nostris apertè adimatur, & soli Gratiæ Divinæ in solidum

 tribua-

tribuatur II. Tim. I. 9. *Servavit nos* (Deus) *& vocavit vocatione sanctâ non secundum opera nostra, sed secundum proprium propositum, & gratiam nobis datã in Christo Jesu, ante tempora secularia.* Et Tit. III. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos fecit nos &c.* Necnon Eph. II. 8. *Gratiâ salvati estis per fidem, idq; non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.*

VI. *Pontificij* vulgò, pro licentiâ invocandi Sanctos v. 19. *Lex ordinata per manum Mediatoris.* Syll. *Quodcunq; officium obivit his in terris Moses, id etiamnum obire in cælis Sancti possunt indigetes. Officium Mediatorium, ratione intercessionis, obivit his in terris Moses.* E. R. negando Majorem. Mediatorem quidem egit, quoad intercessionem, hoc est, internuncium quendam & interpretem, inter Deum & Israelitas, circa promulgationem legis, *Moses;* sed in Test. veteri, sed in vivis adhuc superstes. Argumentari autem â vivis ad defunctos, â statu Test. veteris ad Novum, ab Ecclesiâ militante ad triumphantem, est supra quam dici potest ineptire. Quod enim de Abrahamo & Israële scriptum extat Es. LXIII. 16. *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos;* idem pariter de Sanctis quibuscunq; aliis valet. Conf. cap. VIII. 19. *Nonne populus Deum suum consulturus est? num pro viventibus mortuos?* Nec alium novit Mediatorem Test. Novum, quàm Christum I. Tim. II. 5. εἷς μεσίτης *Homo Christus Jesus, qui se dedit* ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, quiq; *factâ expiatione peccatorum per semetipsum, consedit in dextrâ Majestatis, ut interpellet pro nobis* Hebr. I. 4. Rom. VIII. 34. Unde Intercessio Mediatoria in Test. Novo Redemptionem præsupponit. Quid? quod nec aliter Sanctos intercessione suâ nos apud Deum adjuvare, ac interventu suorum meritorum, Pontificii putent, Officium Mediatorium Christi â Mediatione Sanctorum non specie discernentes, sed solo gradu, juxta authenticas precationum formulas, quæ publicè in Ecclesiis vel demurmurantur, vel sonoro boatu eructantur, ipsamq; *Catechesin Romanam,* ad gratiam & Misericordiam Sanctorum

ctorum disertè nos remittentem; â quâ tamen *Synodus Petricovienſis* in Poloniâ, hac in parte, dissentit.

VII. *Antinomi*, contra tertium usum legis, v. 25. *Non amplius sumus sub Pædagogo.* Syll. *Quicunq; non amplius sunt sub Pædagogo, apud illos lex non est urgenda. Renati non amplius sunt sub Pædagogo. E.* Resp. limitando Majorem, ex parte prædicati: Q. non amplius sunt sub Pædagogo, apud illos lex non est urgenda sc. *quà usum Pædagogicum.* Et ita largimur arg. totum. Sublato autem usu legis Pædagogico, concernente justificandos, non protinus cessat παιδευτικὸς, respiciens justificatos, qui obedientiam Deo debitam legis Divinæ dictamini nunquam non conformare tenentur.

ἘΝΑΝΤΙΟΦΑΝΕΣ

I. Versatur inter vers. 1. *O amentes Galatæ, quis vos fascinavit:* & Matth. V. 22. *Qui dixerit fratri suo, Stulte, reus erit gehennæ.* Syll. *Fratres non sunt detestandi amentes. Galatæ sunt fratres E.* R. limitando prædicatum Majoris: Fratres non sunt dicendi amentes, *ex odio privato.* Sic conced. totum. Nec tamen hæret ulla criminis plaga in Apostolo, utpote cujus indignatio profecta fuit è Divino publicoq; Zelo veritatis ac gloriæ Divinæ. Adulteraverant horrendum in modum verbum salutis, iniquissimâ mixturâ legis & Evangelii, ferocitate lupi, astu vulpes, ovili vineæq; Christi nefarias insidias struentes, Pseudapostoli: tantaq; dementia ceperat Galatas, ut, quantum sibi impenderet periculi, non animadverterent. Malè hoc habebat *Paulum*, ob atrocissimam injuriam in Dominum redundantem, ut continere se nequiret, quin justâ severitate acer, magnitudinem mali ostium pulsantis patefaceret, ac securitatis veternum *Galatis*, quorum consulere rationibus aliter non licebat, excuteret: imitatione CHRISTI, vituperantis itidem viatores Emaunticos *stultos & vecordes ad credendum ea, quæ scripta sunt de Christo â Prophetis.* Luc. XXIV. & *Mosis* desipientiam populi Israelitici pari gravitate castigantis Deut. XXIX. 4. *Nondum dedit vobis*

Jehova mentem ad cognoscendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum, usq; in diem hunc.

II. Inter v. 1. *O amentes Galatæ* & 2. *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei?* Syll. *Quicunq; acceperunt Spiritum Sanctum, non sunt appellandi amentes. Galatæ acceperunt Spir. Sanct. E.* Resp. limitando Subjectũ Majoris: Q. acceperunt Spir. Sanct. *ejusq; ductum constanter sunt secuti,* non sunt detestandi amentes. Sic neg. Minor. Etsi enim illuminati prius à Spiritu Sancti *Galatæ* fuerunt; tamen non semper ejus Magisterio acquieverunt omnes; sed mox Pseudapostolis se corrumpendos multi tradiderunt, ut verendum restiterit, ne, si calcare, quam nuperrimè ingressi fuerant, orbitam pergerent, optimè cæpta pessimè caderent.

III. Inter v. 9. *qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abrahamo:* & Jac. II. 21. *Abrahamus Pater noster nonne ex operibus justificatus est, quum obtulisset Isaacum filium suum, super altare?* Syll. *Quicunque justificatus fuit ex operibus, is non est justificatus solâ fide. Abrahamus justificatus fuit ex operibus. E.* Resp. per distinct. inter Justificationem factam *coram Deo*, & eam, quæ fit *coram hominibus.* De poster. loquitur Minor, simulq; conced. totum. Est autem Justificatio coram hominibus, nil nisi justificationis illius, quam coram tribunali Divino aliquis impetravit, declaratio quædam & manifestatio: dum homines justificatum agnoscunt & deprædicant, ex fructibus bonorum operum, quem Deus justificatum prius ivit per fidem. Quomodo justificatum *Abrahamum* laudavit orbis, perspectâ insigni προθυμίᾳ, imperatam divinitus immolationem Isaaci in rem conferendi. Nec certius ulli indicium suppetit ad notitiam vel fidei nostræ, vel justificationis coram Deo obtentæ, operibus bonis, juxta v. 18. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego tibi ostendam fidem meam ex operibus meis.*

IV. Inter v. 10. *Quotquot ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt:* & I. Tim. I. 8. *Lex bona:* necnon Deut. XXVIII. 1. *Si feceris omnia*

omnia præcepta Domini, obvenient tibi omnes benedictiones istæ. Syll. *Quicqvid bonum est, & benedictionem promittit, non maledicit. Lex bona est, & benedict. promittit. E.* Resp. 1. limitando Subjectum Majoris: Q. bonum est & benedict. promittit, *sub conditione possibili*, non maledicit. Sic neg. Minor. Annexam enim sibi habet Lex Divina conditionem planè impossibilem, perfectissimæ obedientiæ, infirmata jam per carnem, ut non amplius simus legi ex asse satisfaciendo, & promissa legalia æquipolleant Propositionibus purè negativis, similia illi: *Si cælum digito tetigeris, dabo tibi filiã meam.* Quamobrem 2. loco limitamus quoq; Maj. prædicatum: Quicquid bonum est & bendict. promittit, non maledicit καθ' αυτό. Quomodo largimur arg. totum. Quod enim lex maledictionem denunciet, fit κατὰ τὸ συμβεβηκὸς, contra intentionem Dei, culpâ nostrâ.

V. Inter v. 27. *Qvicunq; baptizati estis, Christum induistis: & experientiam* quotidianam, testantem multos subinde baptizari hypocritas, absq; salutari fructu. Syll. *Nulli hypocritæ Christum induunt. Qvidam baptizati sunt hypocritæ. E. qvidam baptizati Christum non induunt.* Resp. distinguendo inter baptizatos *cum obice* Spiritui S. malitiosè posito, *& sine hoc obice; renitentes, & obsequentes.* Ad posteriorem classem hypocritæ referendi veniunt. Et de his largimur totum. Induunt tamen Christum per baptismum, remoto hoc impedimento, infantes ad unum omnes, ex adultis verò, quotquot fidei, ex auditu verbi primùm accensæ, confirmationem & obsignationem seriò expetunt. Deinde distinguendum inter *Intentionem Dei, & applicationem hominum.* Etsi particularis sit applicatio παλιγγενεσιας, & Unionis cum Christo, per Baptismum oblatæ, Universali tamen intentioni Dei & voluntati consentaneum est, ut sine fraude & fallaciis baptismum percipiant omnes, adeoq; legitimum Baptismi usum salutaris fructus ubiq; excipiat: perinde ac, respectu Divinæ intentionis, Christus dicitur *illuminare omnes homines venientes in hunc mundum.* Joh. I. quamvis connatam caliginem actu omnes non excutiant.

VI.

VI. Inter v. 20. *Lex ordinata per Angelos:* Et Ex. XX. 1. *Tunc locutus est Deus omnia hæc verba: Ego sum Jehova Deus tuus &c.* Syll. *Quicquid est promulgatum ab ipso Deo, non fuit ordinatum per Angelos. Lex est promulgata ab ipso Deo. E.* Resp. negando Majorem, siniſtrè sibi opponentem cauſſas Subordinatas. Est quidem promulgatæ Legis cauſſa Principalis Deus, sed usus, ad auctiorem reddendam hanc tantam solennitatem, ministerio Angelorum. Ut huc etiam quadret Axioma: *Quod quis per alium facit, ipse fecisse putatur.*

VII. Continetur v. 22. *Concluſit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio fidei daretur credentibus;* Ubi eidem Cauſſæ, Legi, vel Scripturæ Legali, tribuuntur contrarii effectus, constrictio per vincula pœnarum peccatis debitarum, & eorundem vinculorum solutio. Syll. *Quicquid nos in vincula peccatorum pœnarumq; conjicit, ab illo non est exspectanda liberatio promissa fidei. Lex nos in vincula peccator. pœnarumq; conjicit. E.* Resp. limitando prædicatum Majoris: Quicquid nos in vincula peccat. pœnarumq; conjicit, ab eo non est expectanda liberatio promissa fidei ὡσαύτως, & κατ' αὐτὸν τρόπον. Sic concedimus arg. totum. Condemnat Divina lex peccata, & peccatores ad pœnam æternam, directè, tanquam justum demeritum, ob immensam injuriam Legislatori illatam: ad consequendam verò promissionem fidei saltem facit indirectè, μετωνυμικῶς, & occasionaliter, dum constricti & convicti miseri peccatores Redemptorem quærere coguntur, non secus ac debitores incarcerati, si non sint solvendo, solliciti sunt de vade ac sponsore. Quo sensu lex etiam pædagogus ad Christum audit v. 24.

Cap. IV.

Resp. Johanne Mantzelio, Rostochiense.

MEmbra sunt tria. I. διδακτικὸν, Libertatem Christianam similitudine pupilli, annos minorennitatis egressi, declarans, 2. ἐπιτιμητικὸν, Galatarum socordiam ex integro castigans, 3. ἀληγορικὸν, disparem statum Testam. Novi & Veteris insigni quadam imagine illustrans. In 1. comparatur *Test. Vetus* cum *minorenni*, *Novum* cum *majorenni*. *Protasis* v. 1. & 2. Λέγω δὲ ἐφ' ὅσον χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐστιν, οὐδὲν διαφέρει δούλου κύριος πάντων ὤν, ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐστὶ καὶ οἰκονόμους, ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρός; comprehendit 1. *Subjectum*, 2. *Prædicatum*, 3. *Prædicationis fundamentum*. *Subjectum est hæres*, vel Dominus paternorum bonorum, quoad jus proprietarium; adhuc autem νήπιος, q. νὴ ἔπιος, vel minorennis, qui nondum causam suam in foro orare valet. *Prædicatum, non differt à servo*, nempe quoad κῆσιν hæreditatis, quippe quam Tutorum dispensationi relinquere, & solis acquiescere θρεπτηρίοις cogitur, ut, hoc respectu, servo perquam sit affinis. Fundamentum, *Subjectio* sub potestate tutorum, quam partim imperat necessitas, cum seipsos regere, suisq; rationibus satis consulere, ob ætatis teneritudinem, & judicii ἀῤῥωστίαν, pupilli nequeant, partim commendat utilitas, ne patrimonium prodigatur imprudenter, ac dilapidetur. Ejusq; *duratio* extenditur ad προθεσμίαν πατρὸς, sive tempus in Testamento paterno præfinitum. Quod uti arbitrarium, ita quoque varium est, & jam serius, jam verò citius adequitat: etsi leges legitimam tutelam definiant anno ætatis 25. *Apodosis* v. 3. οὕτω καὶ ἡμεῖς ὅτε ἦμεν νήπιοι, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ἦμεν δεδουλωμένοι; habet pro *Subjecto Nos olim infantes*, hoc est, Ecclesiam Test. Vet. in fasciis q. & incunabulis adhuc vagientem; inclusis, per κοινοπάθειαν, præter Apostolum, *Galatis*, ut ut gentilibus, quod tunc Judæos fideles sanctæ necessitudinis vinculo attingerent. Appellantur autem, qui ante ἐνσάρκωσιν Christi vixerunt fideles, νήπιοι, 1. ratione *quantitatis*. Ecclesia enim Test. Vet. primùm

certis iisq; paucissimis familiis, deinde ad Christum usq; gentis Judaicæ finibus sese continuit: contra Test. Novi Ecclesia per universum terrarum orbem diffusa est. 2. ratione *cognitionis*; siquidem mysteria pleraq; salutis, sub velamento typorum & ceremoniarum proponebantur, & per nebulam veluti ac transennam conspiciebantur, quæ hodie in aprico posita sunt. *Prædicatum* est: Eramus in servitutem redacti, seu servilis status & conditionis solidam effigiem possidebamus. *Fundamentum* addunt στοιχεῖα τοῦ κόσμου, per quæ veterum nnnnulli intelligunt 4. illa corpora simplicia, quæ constitutionem mixtorum ingrediuntur, ignem, aërem, aquam, & terram; alii Angelos, qui 4. elementis mundi præsideant, quibusq; arbitris prius aliquem gubernari oporteat, quàm in Christum credat. *Augustinus* textum interpretatur de gentilibus, & per τὰ στοιχεῖα mundi innui putat, quicquid loco veri Dei in mundo cultum fuit. Perperam. Scopus quippe *Apostoli* est, conditionem populi sub fœdere antiquo adumbare. Τὸ στοιχεῖον itaque ut latè quodvis principium significat; utque suis prius elementis imbuere jubet, quàm ad sublimiora & difficiliora, ipsaq; intimiora adyta admittat tyrones, Grammatica, Rhetorica, Logica, Metaphysica, & quicquid suppetit liberaliũ ingenuoq; ingenio dignarum disciplinarum: sic hoc loco lex elementaris, per παιδίνωσιν, appellatur politia Mosaica, multiplices sanctiones, de rebus mundanis, observationibus festorum, distinctionibus ciborum, ablutionibus crebris, sacrificiis, & similibus complectens, quæ, tanquam prima rudimenta & incunabula, populo Dei προπαγωγίαν quandam & præparationem, ad Religionem perfectam, adhibebant. Sicuti Epistola ad Hebr. præmissis alibi præmittendis catecheticis fundamentis, *de pœnitentiâ ab operibus mortuis, & fide in Deum, de baptismo, impositione manuum, resurrectione mortuorum, & judicio æterno*, hanc sub exordium cap. VI. inspergit παραίνεσιν: εἰς τελειότητα φερώμεθα. Ut à perfectissimâ justitiâ, quã fides invenit in Christo, relabi ad studium

sectandi

sectandi justitiam imperfectissimam, per observationem cerè-moniarum Leviticarum, non minoris sit temeritatis, quàm, à cultu Displinarum Philosophicarum, redire ad elementa Gram-maticæ, ipsumq; alphabetum. *Durationem* terminat τὸ πλήρω-μα τῦ χρόνυ, v. 4. per Hebraismum positum pro pleno tempo-re, sc. gratiæ, emancipandæ & in libertatem asserendæ Ecclesiæ divinitus decreto, & vaticiniis aliquot prædicto. Qualia ex-tant Gen. XLIX. 10. Daniel. IX. 24. & Hagg. II. 8. Rationem si rimeris facti, mirare voluntatem Dei. *Bernhardi* conjecturà serm. 1. de Advent. *Plenitudo & abundantia temporalium oblivionem & inopiam fecerat æternorum: Oportunè ergò tum advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat.* Annotatur autem hujus e-mancipationis *Caussa Efficiens, Medium, & fructus*, v. 4. 5. 6. ὅτε ἦλθε τὸ πλήρωμα τῦ χρόνυ, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτῦ, γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμυ, ἵνα τὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν. ὅτι δέ ἐστε υἱοὶ, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα τῦ υἱῦ αὐτῦ εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν, κρᾶζον ἀββᾶ, ὁ πατήρ. *Efficiens* DEUS est. Ille us-que ad certum temporis articulum Ecclesiam, ceu minoren-nem, inspectioni tutorum & curatorum olim commisit. Idem ergo hanc pileo donare solus etiam potest. *Medium* duplex. *Prius, Incarnatio filii*, cujus utraq; indigitatur Natura: *Divina*, cum DEUS dicitur *misisse Filium suum*, qui neutiquam tunc demum esse cæpit, cum missus est; sed jam ante missionem extitit: *Humana*, dum ad ditur, illum esse *natum è muliere. Posterius, Impletio legis*, per obedientiam tum activam, tum passivam. *Fructus* 1. *redemptio* ab obligatione legum temporanearum, hoc est, foren-sium, & ceremonialium. 2. *adoptio*, liberè nimirum utenda & fruenda, per plenam hæreditatis traditionem. Cumq; hanc recuperare perhibemur, adsignificatur, Christum instaurasse, quod in primâ Creatione Adamus quondam acceperat, sed per lapsum deinde amiserat, χάρισμα. 3. *Donatio Spiritus Christi, qui arrha hæreditatis nostræ dicitur*, I. Cor. I. 21. Eph. I. 13. & *sine quo nemo potest Christum vocare Dominum*. I. Cor. XII. Potuisset quidem di-

cere *Spiritum Sanctum*, aut *Spiritum Patris*, vel *Spiritum Dei* missum: maluit autem hîc Apostolus vocare *Spiritum filij*, indigitaturus filiis Dei adoptivis, per gratiam υἱοθεσίας, eundem conferri Spiritum, quem Filius in Deitate possidet per naturam. Ac veluti uterq; tam Filius, quàm Spiritus S. à Patre, tanquam fonte Deitatis, originem trahit, hic quidem per ἐκπόρευσιν, ille autem per γέννησιν æternam: sic in tempore etiam uterque à Deo Patre missus est; non tamen motu locali & Physico, sed modo prorsus hyperphysico & Divino: ille per in carnationem, ad nos redimendos, in mundum; hic per testificationem, ad obsignandum redemptionis beneficium, in corda nostra, prima illa viventia, & scaturigines omnium actionum vitalium, sive naturales spectentur, sive spirituales. Hinc Johannes I. cap. III. 24. *Scimus quod manet in nobis è Spiritu, quem didit nobis.* Et. IV. 13. *In hoc cognoscimus, quod in illo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Adhæc describitur Spiritus Sanctus ab *effectu*, devoto animi clamore: *Abba*, quæ vox Syriaca est, orta è reduplicatione Hebraicæ אב Unde nuncupatur *Spiritus gratiæ, & precum* Zach. XII. Hinc fluit συμπέρασμα v. 7. ὥστε οὐκ ἔτι εἶ δοῦλος, ἀλλ' υἱός· εἰ δὲ υἱός, καὶ κληρονόμος θεοῦ διὰ Χριστοῦ: numero plurali commutato cum singulari, ut quisq; universaliter dicta sibi sigillatim applicet, nec ullà dubii spinà, num Deo sit gratiosus, pungatur. *Tanta vis est Spiritualis clamoris, Abba Pater, dum oblatam â Deo gratiam & paternitatem filiali corde apprehendo & ingemino Patrem, conveniunt Pater & filius, & contrahunt Sponsalia, sine omni apparatu & pompâ*, ait *Lutherus.* Quia verò ut filii & hæredes regno cælesti potimur, nullius operis meritum locum hîc reperit, neq; nos tam activè, quam passivè, in Justificationis, & salvationis negocio, habemus. Membrum II. ἐπιμυθικὸν inchoant sequentia v. 8. 9. 10. ἀλλὰ τότε μὲν οὐκ εἰδότες θεὸν, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. νῦν δὲ γνόντες θεὸν, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ θεοῦ, πῶς ἐπιστρέφετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε; ἡμέρας παρατηρεῖσθε, καὶ μῆνας, καὶ καιροὺς, καὶ ἐνιαυτούς. Ubi notanda 2.

Propositio

Propositio, & Confirmatio. Propositio. 1. coloratur schemate interrogationis: *Quomodo convertimini ad egena & infirma elementa*, hoc est, Ceremonias Mosaicas, infirmiores longè ac invalidiores, quàm quæ justitiam & salutem conferant. *Qui vellet hic rhetori cari*, ait *Lutherus, posset hæc verba latissimè amplificare, activè, passivè, & neutraliter. Activè lex est elementum infirmum & egenum, quia reddit homines infirmiores & egentiores. Passivè, quia ipsa per se non habet vim & opes justitiæ donandæ, vel asserendæ. Neutraliter est infirmitas & paupertas ipsa. Ideò per legem velle justificari, idem est ac si quis laborans morbo comitiali adjungat sibi pestẽ, aut si leprosus ad leprosum, mendico ad mendicum veniret, alter opem laturus alteri, & locupletaturus illum. Horum alter, juxta proverbium, mulgeret hircum, alter supponeret cribrum.* II. explicatur per certam speciem observationum Leviticarum, nempe superstitiosam celebrationem feriarum Judaicarum: *Observatis dies*, (Sabbatha Judaica, quibus vel ignem accendere, ac suscitare focum nefas erat, Ex. XX. 10. *Menses*, (Neomenias, singulorum Mensium calendas, quibus immolabantur holocausta Num. XXVIII. 11.) *tempora* (festa, quæ inter 3. eminebant, Festum videlicet *Paschatos, Pentecostes, & Schænopegias*, quibus omni masculo necessaria Hierosolymas via erat Levit. XXIII. 4.) & *annos* sc. Sabbathicos, tum minores, hoc est, annum quemq; septimum, quo otium terræ à culturâ indulgebatur; tum Majores, quinquagesimum quemq;, quo servi manumittebantur Levit. XXV. 4. Hæc enim temporum discrimina quàmmaximè olim vigebant, sed ut umbræ & typi futurorum bonorum. Exhibito igitur antitypo, postliminiò in usum revocare ritus semel abrogatos, idq; sub opinione cultus, meriti, ac necessitatis, ingentis κακοζηλίας erat. Non defuerunt è veteribus, qui digitum hîc intendi putarint ad Traditiones Astrologicas Chaldæorum. Quales etiamnum altissimas radices in multorum animis egerunt, de *diebus Criticis, mensibus embolymæis, annisq; bisextilibus.* Hinc nimirum nati, de diebus Ægyptiacis, versiculi:

Jan. *Prima dies menſis & ſeptima truncat ut enſis,*
Febr. *Quarta ſubit mortem, proſternit tertia ſortem,*
Mart. *Martis prima necat, cujus ſub cuſpide quarta eſt,*
Apr. *Denus & Undenus eſt mortis vulnere plenus.*

Item de die Converſionis Pauli: *Clara dies Pauli bona tempora denotat anni. Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæq; &c.*

Sed docet πνάφεια textus, ſermonem fieri de obſervatione religiosâ dierum Judaicarum, ſecundum legem Moſis, ad impetrandam Juſtificationem. *Confirmationis* argumentum 1. Apoſtolus petit â *præſenti Galatarum ſtatu*, conjuncto cum ſalutari notitiâ Dei, poſtquam è revelato verbo didicerant non tantùm *exiſtentiam* Dei; ſed & *eſſentiam*, ſimplicisſimam quidem in ſe, attamen tribus diſtinctis hypoſtaſibus communem, *Patri* gignenti, *Filio* genito, & *Spiritui Sancto*, à Patre Filioq; procedenti; ſed & *voluntatem*, ac *Opera, Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis. Amplificationem* addit *Oppoſitum*, Infelicisſima conditio *Galatarum* ante Converſionem, ut, ex ignorantiâ Dei veri, cultum huic ſoli debitum vel ad creaturas tranſtulerint, vel ad Idola, Deos tantùm κ᾽ δόκησιν κὴ φαντασίαν hominum. Innuitur itaque triplex *Galatarum* ſtatus. Primum nacti fuerunt ſub *paganismo*, corruptum valdè, & in horrendâ veri Dei ignoratione verſantem: Secundum ſub puro *Chriſtianismo*, cujus religionem ſinceram & integram rectè hauſerant ex *Paulo*: Tertium ſub *ſemijudaismo*, inſtillato à Pſeudapoſtolis, per doctrinæ γνησίως Apoſtolicæ depravationem, ac limitum Legis & Evangelii temerariam confuſionem. Quorſum verò iſta? Ut per collationem ſtatuum duorum extremorum, parum à ſe invicem diſparium, *Galatæ* revocentur ad intermedium, optimæ probitatis. Ne verò γνῶσιν hanc Dei ſuis ipſorum viribus ferrent acceptam, ſubjicitur *correctio*: *Magis cogniti à Deo*, datore illo munerum, fidei, & Spiritus Sancti. Conf. Eſ. LXV. 1. *Quæſiverunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt, qui non quæſiverunt me.* Joh. XV. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Nam hîc

quoq;

quoq; verbum notitiæ, per Hebraismum, connotat affectum. Ut enim notitia, quâ nos cognoscimus Deum, complectitur filialem fiduciam gratuitæ remissionis peccatorum, per & propter Christum impetrandæ, Rom. VIII. 38. *Certus sum quod neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro:* ita notitia, quâ nos cognoscit Deus, includit specialem Dei gratiam erga nos propendentem, dilectos in dilecto, Eph. I. 6. Ioh. X. 14. II. Tim. II. 19. Matth. VII. 23. Hinc talis emergit Syllog. *Quicunq; ex Evangelio norunt Divinam voluntatem de Salute in solo Christo quærendâ, illi temerè se adstringunt Ceremoniis Leviticis, tanquam ad salutem necessariis. Galatæ ex Evangelio norunt Div. volunt. de salute in solo Christo quærendâ. E. Cornelius à Lapide* adhuc alium observat hebraismum. *Cogniti* quippe illi sunt *scire facti*, vel *edocti à Deo. Est hebraismus*, ait, *sive significatio participii passivi hophal.* יודיע *enim in hiphil significat scire fecit, docuit, in passivâ* יודיע *signif. scire factus, i. e. edoctus est. Jam Latini & Græci quia idem verbum per hiphil & hophal transferre non possunt in tam activam & passivam significationem, hinc suo verbo vel participio sæpe neutro, vel passivo illud exprimunt, sed vim ejus & energiam adæquare non possunt.* Etsi verò observationem hanc non planè repudiemus; tamen nec opponenda priori est, sed subordinanda: siquidem perductio hominum ad salutarem agnitionem Dei, effectus existit gratiæ, gratiosæq; cognitionis, quâ Deus nos prævenit. *Calixtus* vocem græcam ἄνωθεν malè reddit ad superiora, isto addito glossemate: *hoc est, ad illa, quæ superioribus seculis, cum Ecclesia adhuc sub tutoribus infantiam ageret, vigebant, & in pretio erant.* Etenim ambiguum quidē est τὸ ἄνωθεν, nec temporis tantū significationem habet, sed loci etiam: locum autem cum notat, non terminum designat ad quem, sed à quo, vertendum latinè non ad superiora, sed desuper, vel de loco superiori. Hæcigitur significatio, quâ τὸ ἄνωθεν ad locum refertur, si hìc præferri deberet, culparetur

paretur abitio, vel descensus *Galatarum*, à doctrinâ Apostolicâ, ad Pædagogiam Mosaicam, tanquam à superiori ad inferius, à perfectiori ad imperfectius, à nobiliori ad ignobilius. II. ab *incommodo*, v. 11. Φοβοῦμαι ὑμᾶς, μή πως εἰκῆ κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς: Ne pereat laboris pretium, quem prædicatione Evangelii vobis ad Christum, tanquam unicum Servatorem, fontemq; gratiæ & salutis inexhaustum, per ducendis impendi, ne oleum & operam perdiderim, ne Sisyphi saxum volvendum, in Tantali horto fructus colligendos, lavandum æthiopem, arandum littus susceperim. Syllog. *Quoscunq; non decet laborem Apostolicum irritum reddere, illis nec licet à Christo se avertere ad Constitutiones Mosaicas. Galatas non decet labor. Apost. irritum reddere. E.* III. à suo ipsius *exemplo*, v. 12. γίνεσθε ὡς ἐγώ, ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς, ἀδελφοί, δέομαι ὑμῶν. Syll. *Quamcunq; opinionem de Ceremoniis Mosaicis abjecit Paulus, eam nec fovere debent Galatæ.* Ratio, quia si cuiquam alteri, certè *Paulo*, ceremoniæ tales curæ cordiq; fuerunt. *At opinionem cultus, meriti, & necessitatis, de Cerem. Mos. abjecit Paulus. E.* Ut autem eò penitius argum. hocillorum animis pectoribusq; infigeretur, adjungit preces: *Obsecro vos;* negans insuper ullam sibi odii caussā suppetere: οὐδέν με ἠδικήσατε, imò affirmans insigne sibi beneficium fuisse collatum. Unde accedit IV. à *Priscâ Galatarum benevolentiâ*, quam *amplificat* 1. *ex parte sui*, v. 13. οἴδατε δὲ ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον, (non, inani grandiloquentiæ & Sophoclei cothurni ostentatione, auram popularem captans, sed simplicissimâ dictionis ideâ Christum crucifixum depingens,) & 14. καὶ τὸν πειρασμόν μου τὸν ἐν τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουθενήσατε, οὐδὲ ἐξεπτύσατε: non spreviſtis varias tribulationes, & passiones exquisitissimas, quibus diabolus Personam & officium meum contemptui exponere sategit, quarumq; sat prolixus Catalogus texitur II. Cor. IV. VI. XI. & XII. 2. *ex parte Galatarum*, quorum veterem προθυμίαν insigni hyperbole & αὐξήσει in majus extollit: ἀλλ' ὡς ἄγγελον θεοῦ (hoc est, maximâ cum reverentiâ, in cujus intimiorem tesseram *Mephiboseth* ait ad *Davidem*,

dem II. Sam. XIX. 27. *Dominus meus Rex est sicut Angelus Dei*) ἐδέξασθέ με, ὡς χριστὸν ἰησοῦν, (cujus hoc extat Testimonium Luc. X. 16. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*) τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; μαρτυρῶ γὰρ ὑμῖν, ὅτι, εἰ δυνατὸν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαντες ἂν ἐδώκατέ μοι: hoc est, quod ad quodvis præstandum paratissimi extiteritis, ut neq; oculis, quibus aliàs gratior non est Gratiarum ipsa Diva, pepercissetis, modò emolumenti quicquam inde ad me redundasset. Quomodo apud *Scythas*, more antiquitus solenni, mutua vulnera, in sanciendis amicitiis, corporibꝰ inferebantur, & sanguis novi amici sugebatur, teste *Luciano* in Toxari. Et *Valerius* scribit de Armeniis Lib. 9. *Gariaster Rex adversus Patrem Tyranem ita consensit cum amicis, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent, eumq; invicem sorberent.* V. à *Consequente* hinc *beatitudine*: Τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; graphicè nimirum depictus Rom. IV. 6. *Beatitudo hominis est, cui Deus imputat justitiam sine operibus.* Quâ quidem re nihil augustiori specie cogitationem sani sincipitis implere potest. A *Calixto* dum verba græca τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν ita vertuntur: *quæ igitur erat beatitudinis vestræ prædicatio, tali cum scholio: Hæc prædicatio accipi potest vel activè, vel passivè: quàm beatos vos prædicabatis, & quantopere ob adventum meum gratulabamini, aut quàm beati passim ab Ecclesiis, quæ adeò læta à vobis inaudierant, prædicabamini?* rursus ostii limen minimè attingitur. Μακαρισμὸς enim non signif. prædicationem beatitudinis, sed beatitudinem ipsam, quæ competere alicui potest, etiamsi à nemine deprædicetur, vel agnoscatur. Ac licet exemplaria interdum varient, nullum tamen reperietur, quod *Calixtum* juvet. VI. à *facti indignitate*. v. 16. ὥς τε ἐχθρὸς ὑμῶν γέγονα ἀληθεύων ὑμῖν; Respondet quidem non rarò eventus Adagio: *Quatuor bonæ matres pariunt 4. pessimas filias, veritas odium, virtus invidiam, felicitas superbiam, securitas periculum, quibus adde quintum, familiaritas Contemptum.* Et ex ethnico Prætore auditum illud: *Quid est veritas?* Quasi fuisset dictum: In professione veritatis nolito, ô bone, caussæ tuæ præsidium

con-

constituere. Cum enim inter hodierni ævi homines ita comparatum sit, ut neminem non in odia aliorum veritas conjiciat, non magis te ab illis liberabit, quàm à podagrâ calceus. Attamen non scriptura saltem studium veritatis commendat. Psalm. XV. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c. Qui loquitur veritatem in corde suo:* & Eph. IV. 26. *Deposito mendacio, loquimini veritatem:* sed ethnici etiam sapientiores, nullâ re nos propius ad similitudinem Dei accedere, judicarunt. Tandem occurrit tacitæ *Objectioni: Amantibus decet reddere vices. Doctores Legis sunt amantes.* E. v. 17. 18. ζηλοῦσιν ὑμᾶς οὐ καλῶς· ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, (verorum Doctorum veræq; Ecclesiæ consortio) ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε. (ut in suas partes vos pertrahant, & à Christo abducant,) καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι (indignari, ob læsionem rei effictim amatæ,) ἐν καλῷ πάντοτε. Distingui proinde vult Apostolus inter amorem, vel zelum *legitimum, & illegitimum; Spiritualem, & carnalem.* De *priori*, quali *Christus, Apostoli, Elias, Pinehas, & Maccabæi ardebant*, conceditur Major. Imò requiritur hujus constantia istis verbis: οὐ μὴ μόνον ἐν τῷ παρεῖναι με πρὸς ὑμᾶς; exprobrantibus levitatem *Galatarum*, qui affectum, qvo *Paulum* præsentem complexi fuerant, mox à discessu refrigescere siverant; cum causa doctrinæ, & Persona *Pauli*, tam adamantino cohæreant nexu, ut nullum admittant divortium. Quare etiam cohortatur Philippenses cap. II. 12. *Sicut semper obedistis, non ut in præsentia mei tantùm, sed multò magis nunc in absentia meâ, cum metu & tremore vestram salutem operemini.* Secus verò arbitrandum de zelo Pseudapostolorum, carnali prorsus & vitiosissimo, de quo Minor loquitur. Hinc digressurus ad Membrum III, ἀλληγορικὸν, præmittit *votum* cum *quæstione*, per patheticam admodum *apostropen* v. 19. τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν. Alibi *Patris* Personam induit, ut I. Cor. IV. 15. *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, non multos tamen Patres. Nam in CHRISTO JESU per Evangelium vos genui.* Et Philem. 10. *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo.* Hìc autem se,

se confert *Matri*, nec sine molestiâ fœtum usq; dum efformatio partium ad umbilicum perducatur, in utero gestanti, nec sine doloribus acerbissimis in lucem postea enitenti, quòd non tantùm antehac *Galatas* regenerarit; sed denuò quoq; paratus sit nulli labori parcere, donec in *Galatarum* animis genuina CHRISHI imago, sine quâ nemo salvatur, Evangelii penicillo formata, refulgeat, hoc est, donec ab egenis elementis mundi ad Christum redeant, firmâ cordis fiduciâ eidem imposterum adhæsuri: cum Pseudapostoli eò collimarint, ut *Galatarum* fiducia non niteretur merito CHRISTI, sed operum propriorum; adeoq; *Galatarum* animis per legem alienam formam imprimerent, nempe *Mosis*, imò suam ipsorum, uti sub calcem Epistolæ air: *volunt vos circumcidi, ut ipsi in carne vestrâ glorientur.* *Votum* exprimit v. 20. Ἤθελον δὲ παρεῖναι πρὸς ὑμᾶς ἄρτι καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου. Quia vox viva & efficacius penetrat, & constantius infixa manet, & affectus nostros aptius aperit, optarem, si voto vita transigenda foret, liceret nunc mihi vos affari præsentes, vestroq; captui me accommodare, alios consolando, alios informando, alios confirmando, alios increpando, alios excommunicando. Ratio: ὅτι ἀπορῶμαι ἐν ὑμῖν. Quia anceps animi pendeo, quo affectu epistolam hanc excepturi sitis, an arrisura sit palato vestro, an verò motura stomachum. *Quæstio* continetur v. 21. λέγετέ μοι οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι, τὸν νόμον (libros Mosaicos, sic denominatos è parte majori,) οὐκ ἀκούετε. Quasi diceret: Juvat vos jugum legis ex integro subire, ejusq; servitutem libertati Christianæ præferre. Injusitaq; vos, juxta legem, voco, causam vel coram ipso tribunali Mosaico facile obtenturus, contra Ceremoniarum cultores, tanquam servos, hæreditate orbandos. Quæ subsequitur *Collatio Testamenti Novi & veteris*, triplex est. 1. designatur *distincta conditio status*, 2. populi fœderis antiqui, erga fideles Testam. Novi, *sensus*, 3. Utrorumq; *exitus*. Circa partem 1. notari meretur, tum historiæ *narratio*, tum *explicatio*, tum *applicatio*. Narran-

tur itaq; tria. 1. Abrahamum in conjugio vixisse duarum uxorum, alterius liberæ, alterius servæ. 2. duos itidem genuisse filios, è liberâ liberum, è servâ servum. 3. his diversa obtigisse natalium primordia, servo carnem, libero promissionem v. 22.23. γέγραπται γὰρ, ὅτι Ἀβραὰμ δύο υἱοὺς ἔσχεν, ἕνα ἐκ τῆς παιδίσκης, καὶ ἕνα ἐκ τῆς ἐλευθέρας. ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης, κατὰ σάρκα γεγέννηται· ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας, διὰ τῆς ἐπαγγελίας. Historiam integram vide Gen. XVI. XVIII. & XXI. *Sara* cum egressa annum 76. adhuc sterilis de prole diffideret, ingenti tamen desiderio teneretur videndi seminis divinitus promissi, cessit juri suo, idq; consilii suppeditavit *Abrahamo*, pateretur sibi associari & accumbere ancillam *Hagar*. Cui cum acquievisset *Abrahamus*, suscepit ex ipso *Hagar*, fœcunda & juvencula, *Ismaëlem*. Postquam verò secircumegissent anni 14. *Abrahamo* centerario, *Saræ* nonagenariæ rursus promissus fuit filius, ex effætâ anu nasciturus. Id quod licet ἐν τοῖς ἀδυνάτοις deputarit *Sara*, eventus tamen comprobavit. Natus proinde dicitur, secundum carnem, *Ismaël*; quia solito more, & secundum ordinarium Naturæ cursum, ac carnale consilium *Saræ*, conceptus & in lucem editus fuit. Natus, secundum promissionem, *Isaac*, modo extraordinario & miraculoso, naturæ vires, consiliumq; & judicium humanum superante. *Explicatio* bimembris, comparat cum *Hagar* Testamentum Vetus, cum *Sarâ*, Novum v. 24. ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα (καταχρηστικῶς positâ allegoriâ pro typo) αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι, μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἁγάρ, nempe μεσωνυμικῶς, vel σημαντικῶς. Nam uti genuit *Agar* serva filium, qui conditionem matris secutus, simili fato afficiebatur, & servus erat: sic doctrina legis, seu Universa Oeconomia statutorum Mosaicorum, & fœdus antiquum, in monte Sinai promulgatum, servituti subjecit quotquot inde justitiam & salutem expectant: siquidem omnis lex ad perfectam obedientiam obligat; cumque illa non sit invirium nostrarum potestate sita, non potest non servilem timorem Dei ingenerare. Ratio

conti-

contimetur v. 25. τὸ γὰρ Ἄγαρ σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ. Quia mons *Sinai*, in Arabiâ situs, etiam alio nomine *Hagar* audit, ut præter *Paulum* testantur *Ptolomæus*, & *Græcorum* scholia. Nec abs re. Bis enim *Hagar* fugit in desertum *Paran*, seu Arabiæ. Gen. XVI. 6. XXI. 14. Post desertum hoc habitavit, filioq; mulierem Arabicam voluit associatam. Frustra autem *Cornelius à Lapide* opinatur, corruptionem aliquam hîc subivisse textum Originalem, *Sed hoc*, scribens, *ut ita sit, hiulcum est & distortum: nam versu præcedente dixit, Agar esse, i.e. significare T. V. quomodo ergo mox subderet, Agar esse montem Sina? Videntur ergo Græca hîc, uti & alibi esse corrupta, legendumq; : Sina enim mons est in Arabiâ, ut noster legit, uti & Beza fatetur, hæc enim lectio plana est, vera, & certa.* I. enim confundit *Testam. V.* vel legale cum *Monte*, in quo illud solenni ritu fuit sancitum. Deinde fallitur, dum putat fieri non posse, ut idem Nomen typus & antitypus gerat. Id quod abundè comprobat vel solum Nomen יהושע κατ᾽ ἐξοχὴν, μονοτρόπως, καὶ ἐξαιρέτως competens ipsi filio Dei, attributum tamen in T. V. tum duci populi Israelitici, tum hospiti cuidam arcæ fœderis, I. Sam. VI. tum pontifici, Hag. I. 1. Zach. III. 3. Est autem *Sara* pro typo Testamenti Novi, quod vocatur *Jerusalem superna* v. 26. ἡ δὲ ἄνω ἱερουσαλὴμ ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. *Jerusalem* quidem, quia passim apud Prophetas, quando ut flore suo læta depingitur, Ecclesiæ imaginem gerit, ut Es. II. 2. 3. *Erit ultimis temporibus, ubi constitutus fuerit mons Domini in vertice aliorum montium, & elatus supra colles, ut confluant ad eum omnes gentes, eantq; populi multi dicentes: venite & adscendamus in montem Domini, in domum Dei Jacob, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus. Superna autem* 1. ratione *originis.* Etsi enim sancta hæc Civitas Dei sit in mundo, non tamen est de mundo; Sed à fecis mundanæ contagione pura. 2. ratione *Propriæ habitationis*, utpote quam nanciscitur in cælo. Philip. III. 20. τὸ πολίτευμα *nostrum in cælis est.* Et Hebr. XIII. 14. *Non hîc habemus manentem Civitatem, sed futuram inquirimus.* Cum his in terris sit ultrò citròque di-

dispersa, & interdum in speluncis lateat, ut tempore Arianismi. Eaque *libera* pronunciatur ab onere Mosaicarum sanctionum, & spirituali miseriâ incolarum, semper beatorum & in Domino exultantium, etiamsi fractus illabatur orbis, & cuncta sursum deorsum volvantur, juxta vaticinium Es. LXV. 19. *Non audietur in eâ ultra vox fletus.* *Mater* porrò, quia peperit universum cætum fidelium, è gentibus & Judæis collectum: Juxta pronunciatum *Augustini: Qui non habet Ecclesiam in terris matrem, neq; habet in cælis Deum Patrem.* Quod confirmatur Oraculo Es. LIV. v. 27. γέγραπτ᾽ γὰρ, εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα, ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα. Cui præcinuit I. Reg. II. 5. *Hanna: Repleti pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt: donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios infirmata est.* Sub exortum Testam. Novi, fæcundum erat vetus, & asseclis frequentissimum: Novũ sterile, paucis Messiam suscipientibus. Jubet nihilominus Propheta tripudiare & triumphare Ecclesiam Testam. Novi, quòd propediem futurum sit, ut concursu copiâque fidelium florentissima longè latius pomæria sua extendat. De his cælestibus Hierosolymis confer disserentem Es. LXV. 18. Ezech. cap. ultimo. Apocal. XXI. 2. *Hieronymus: Ecclesia diu sterilis non peperit, antequam Christus de virgine nasceretur: sed cum Christum q. Isaac i. e. risum, mundo peperit de Abrahamo, i. e. de electo Patre, cum voce sublimium dogmatum resonante, proles plurimas Deo peperit.* Hinc *applicatur* sensu Mystico *Testam. Vetus* ad *Synagogam Judaicam* v. 25. συστοιχεῖ (respondet, congruit, ordinem, respectum, analogiam habet, ut τὰ σύστοιχα appellantur aliàs ὁμοίως ἔχοντα, & propriè στοῖχος, vocabulum militare, significat seriem militum, à fronte faciei usque ad finem, quà sequentes ubique antecedentium vestigiis insistunt,) ἢ τῇ νῦν ἱερουσαλὴμ, δουλεύει ἢ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Hic enim adhuc dominium usurpabat servilis conditio, Ceremoniæ Mosaicæ rigidè observabantur, jugumque plumbo onerosius partim à Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis,

is, partim à Romanis, quorum imperio urbs Hierosolymitana, tempore *Pauli*, subjacebat, imponebatur; donec tandem Urbs planè solo adæquaretur, & Resp. Judaica everteretur funditus. *Testamentum* autem *Novum* applicatur ad *Christianos*, v. 28. ἡμεῖς δ, ἀδελφοὶ, κ̄τ̄ ἰσαὰκ, ἐπαγγελίας τέκνα ἐσμέν. *Isaacum* exhilaravit psomissio gratiæ, suam posteritatem orbi benedictum semen daturam esse. Ita quicunque promissioni Divinæ fidem adhibent, promissionis filii reputantur, præteritis iis, qui vel carnis prærogativâ, vel operibus legis superbiunt. Quis autem mutuus horum populorum *sensus?* ἀλλ' ὥσπερ τότε ὁ κατὰ σάρκα γεννηθεὶς, ἐδίωκε τὸν κ̄τ̄ πνεῦμα, οὕτω καὶ νῦν. v. 29. Traducti fuerunt palàm Apostoli, quod tubam inflarent seditionis, eoque nomine infectationes perpessi sunt multiplices, quàm â gentibus, exclamantibus Act. XVI. 20. *Hi homines conturbant civitatem nostram;* tam â Judæis, quiritantibus Act. XVII. 6. *Hi qui conturbarunt orbem terrarum & hîc adsunt:* & XXIV. 5. *Invenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditionem in universo orbe.* Cum κ̄τ̄ ἀληθείαν faces omnium tumultuum, qui Evangelii præconium excipiunt, accendant gentes, Reges & Principes, fremendo & frendendo adversus Dominum, & Christum ejus. Sed non est, quod admiratione percellamur. Eadem sors, in typum tanti odii, exercitum tenuit Isaacum, sarcasticâ illusione, conjunctâ forsan cum injuriâ reali, tentatum ab Ismaele, jus primogenituræ sibi arrogante, & Isaacum, natum vetulæ, alto supercilio spernente. Quis tandem *exitus?* ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή; ἔκβαλε τὴν παιδίσκην κ̄τ̄ τὸν υἱὸν αὐτῆς· οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσῃ ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας. Sicuti expellebatur, ne ad hereditatē hercisendam admitteretur, *Ismaël:* sic solatii plenissimum exturbatū iri, è spirituali familiâ Abrahami, servilem illam nationē *Ismaëlitarum, & Justitiariorum,* atque relictum iri hæreditatem solis liberis, hoc est, illis, qui se ab his liberatos per Christum agnoscunt, cum *Bernhardo,* integro quidem vitæ scelerisque puro, sed in agone nullos operum suorum aspectus habente,

te, verum in solius Christi vulneribus securo, & hunc ita alloquente: *Ego perditè vixi, sed tu, Domine Jesu Christe, duplici jure tenes regnum celorum. Primùm quia filius Dei es, deinde quia illud tua passione & morte acquisivisti. Hoc servas per te, jure nativitatis, illud largiris mihi, non jure operum, sed gratiæ.* Quam ἀντίδοσιν, per se manifestam, Apostolus tantùm ad significat, nobisque plenius concipiendam relinquit. *Conclusio* v. 31. ἄρα, ἀδελφοὶ, οὐκ ἐσμὲν παιδίσκης τέκνα, ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας; adhortationem complectitur, ne patiamur nobis Christianam libertatem inverti, jugumq; servitutis legalis cervicibus nostris animosè excutiamus. Poni proinde ob oculos universa tum ἀντιστοιχία, tum συστοιχία hoc potest schemate:

Ἀντιστοιχία.

ℳ	Agar.	1. ℳ	Sara.
ℯ	Ismael.	2. ℯ	Isaac.
ℊ	Servitus.	3. ℊ	Libertas.
ℴ	Natura.	4. ℴ	Divina promissio.
ℸ	Testam. Vetus, seu legale.	5. ℸ	Test. Novũ, seu Evangelicũ.
⅏	Hierusalem terrestris.	6.	Hierusalem cælestis.
℔	Synagoga Judaica.	7.	Eccleſia Catholica.

APHORISMUS

διδακλικὸς 1. *Existentia Christi, quà Naturam potiorem, ante nativitatem è Mariâ Virgine, indubitatò asserenda.*

Argumentamur contra *Photinianos* è v. 4. *Quicunq; ante nativitatem è Maria virgine missus est, is quoq; ante illam Nativitatem extitit.* Ratio, quia *uti non entis nullæ sunt affectiones:* ita nec mitti potest, qui nondum est. *Christus ante nativitatem è Maria Virg. missus est. E.* Porrò: *Quicunq; extitit ante nativitatẽ è Mar. Virg. non v. quà humanit. in eo concedenda Natura quædam ab humanitate diversa. Christus extitit ante nativ. è Mar. Virg. non vero quà humanit. E.* Excipiente *Enjedino* 1. contra Majorem, *Posse fieri, ut Deus aliquem mittat, & eodem tempore simul creet, adeoq; missio & Creatio concidant:* Resp. posito τῷ *posse*, nondum

tamen

tamen â τῷ *posse* valere consequentiam ad esse, nec ullo uspiam apice doceri, potentiam hanc Deum exercuisse, & actu quenquam creasse, simul & misisse. CHRISTUM quod attinet, missus is hoc loco perhibetur, antequam è muliere nasceretur, adeoque missio ejus Nativitati apertè contradistinguitur. Postquam CHRISTUS â patre missus esset in mundum, venit per incarnationem, tanquam *medium* missioni huic divinitus destinatum. Itaque sponte corruit, quod excipitur 2. loco, contra Minorem: *Nativitatem nusquam in Scripturâ Missionis vocabulo designari.* Nam neque nos *formalem* missionis *rationem* in nativitate collocamus: sed *per Nativitatem,* vel potius conceptionem in Utero Virginis Mariæ, missionem Filii Dei factam confitemur, juxta Scripturam, cum *Deum manifestatum esse in carne,* I. Tim. III. 16. & *venisse in carnem* I. Joh. IV. 2. asserit. Si hoc autem, si manifestari Christus in carne, si venire idem in carne debeat, jam præexistat, ut ὑφισάμενον aliquod, necessum est. Actiones enim, & Passiones non sunt, quâ *Subjectum denominationis,* nisi Suppositorum. Regeritur: ἀποστέλλειν *esse ablegare cum certis mandatis: talem verò ablegationem Christum nactum fuisse sub exordium prædicationis, cum eo modo missus fuerit, quo ipse misit Discipulos.* Joh. XVII. 18. Resp. Discernenda esse *Mandata* Divina ab illorum *executione. Mandatum,* de restituendo in integrum humano genere, Christus secum attulit plenissimum, cum corporis nostri exuvias indueret, *executioni autem* subsequentibus demum diebus carnis tradidit. Confertur itaque missio Christi cum missione Apostolorũ κατά τι, quoad Officii Prophetici *originem & finem,* quatenus etiam Apostoli, Divinâ autoritate, administri salutis nostræ sunt. Ἁπλῶς si eædem forent Christi, & Apostolorum partes, quot venerandi Redemptores venirent? cum Christus sit solus, qui justè vivendo, injusteq, moriendo, redemptionis beneficium nobis acquisivit, prædicatione Apostolorum Auditoribus saltem oblatum, & applicatum credentibus.

2. *Ut Christus natus est ante secula de substantiâ Patris, quà Deitatem: sic natus idem in seculo, de Substantiâ matris, quà humanitatem.*

Genitus namque Filius Dei (ἴδιος Rom. VIII. 32. & μονογενὴς, *qui fuit* ἐν ἀρχῇ *apud Deum Patrem* Joh. I. 18. seu *cujus exitus à diebus æternitatis* Mich. V. 2.) etiam *in plenitudine temporis, DE Muliere* v. 4. Gignere autem quid nisi suam alteri essentiam communicare? Communicavit igitur Christo non minus verè mater essentiam humanam, quàm Pater Divinam. Quamvis perfectior sit & intimior, Communicatio essentiæ Divinæ, quàm humanæ: Illa identitatem inferat planè numericam, hæc vero tantùm specificam. Contra *Valentinianos, & Anabaptistas*, somniantes Christum attulisse corpus sidereum, per Uterum matris in lucem editum, instar aquæ per canalem ita labentis, ut nihil de illius substantiâ assumat: Ut & *Manichæos*, fingentes corpus Christi κατ' δόκησιν καὶ φαντασίαν, quos præterea satis superq; confutat Incarnationis scopus, redemptio illorum qui sub lege erant, quam delirio hoc irritam reddere Cacodæmon conatus est. Si enim φαινομένως saltem & κατ' δόκησιν filius Dei fuerit incarnatus, nos quoque φαινομένως & κατ' δόξαν redempti, ὄντως & κατ' ἀλήθειαν in æternæ miseriæ abysso relinquemur.

3. *Etsi Christus bis fuerit genitus, filius tamen unus est.*

Idem enim ille, qui *Filius Dei* est, *natus* pariter fuit *de muliere*, semper manens εἷς κύριος I. Cor. VIII. 6. Unumq; ὑφιστάμενον, σύνθετον quidem factum, post generationem temporalem, cum ab æterno extiterit simplex: sed absque multiplicatione τῆς ὑποστάσεως. Contra *Photinianos*, tot postulantes filios, quot dantur generationes.

4. *In Identitate Personæ fundatur Communicatio realissima tum Naturarum, tum Proprietatum.*

Communicationem mutuam Naturarum διαρρήδην loquitur idem Oraculum, quod *filium Dei* pronunciat *natum de Muliere*, prædicando Concretum unius Naturæ de Concreto alterius, perinde ac Luc. I. 3. *Sanctum de Mariâ natum, dicitur filius Altissimi*, &

Matth.

Matth. XVI. 16. *Filius hominis, filius Dei viventis.* Rom. IX. 5. *Christus è Patribus natus secundum carnem, Deus benedictus in secula.* Jer. XXIII. 6. *Germen Davidis, Jehova.* Nec reticetur Communicatio Proprietatum, κατ' ἰδιοπίαν, cum proprium Naturæ humanæ, τὸ *nasci è muliere,* enunciatur de concreto Naturæ Divinæ, *filio Dei:* κ) κοινοπίαν, dum ἀποτέλεσμα, Mediatorium, *redemptio hominum legi subjectorum,* utriq; tribuitur Naturæ, agente Naturâ utraq; quod suum est, sed cum communicatione alterius. *Filius* quippe DEI, jam *natus è muliere,* hoc est, totus Christus, redemit eos qui sub lege erant. Redemptio enim opus est in se Divinum Es. XLIII. 11. perfectum tamen per obedientiam legi à Christo præstitam, actione θεανδρικῇ, quâ & Divina natura egit ἀνθρωπίνως, & Humana θεϊκῶς. Quia vero actus secundus præsupponit primum, simul κ) τὴν διανοιαν innuitur ἡ μεταπίαι, ut nunquam actu Humana Christi Natura, ad redimendos nos, quicquam contulisset, nisi potestatem redimendi & liberandi, propter hypostaticam cum λόγῳ Unionem, fuisset adepta.

5. *Satisfactio Christi tam activam obedientiam, quàm passivam complectitur.*

Ideò enim *Christus subjecit se legi, ut eos qui sub lege erant redimeret, ib.* Conf. Rom. VIII. 3. *Quod impossibile erat legi, siquidem infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum.* Quare *finis legis* appellatur Rom. X. 4. seque *venisse,* affirmat, *ad legem implendam* Matth. V. 17. Ac proinde in locum pœnæ nobis debitæ Christi passio, in locum autem nostræ culpæ sanctissima ipsius vita substituitur. Contra *Piscatorem,* contendentem opus redemptionis solâ obedientiâ passivâ absolvi. Regerit quidem: *Quicunq; naturâ fuit subjectus legi, is hac subjectione liberationem promereri aliis nequivit:* quia nihil meritorium, nisi indebitum. *Christus homo naturâ fuit subjectus legi,* ut creatura rationalis. ε. Quem in sensum & *Socinus* argutatur: *Si ideò eos liberasset Christus, qui erant sub lege, quod suscepis-*

set præstandum id, cui solvendo non erat: opus fuisset eum minimè subjectum esse legi. Nemo enim pro aliis præstare potest, quod ipse facere tenetur. At, teste Apostolo, Christus subjectus fuit legi, (per se) E. non liberavit nos præstando id pro nobis, cui solvendo nos non eramus. Resp. communiter Catholici, negando Minorem in Syllogismo *Piscatoris*, & distinguendo inter ψιλὸν ἄνθρωπον, & θεάνθρωπον, quod illum sanè legi subjiciat Natura, hunc autem sola misericordia: perinde ac nullius necessitatis impulsu, sed solius miserationis affectu, Christus homo fieri, *nobis nasci, nobis donari* dignatus est. Rom. VIII. 32. Es. IX. 6. *Pareus*, responsioni huic diffidens, aliam ingreditur viam. *Neq; potest hîc regeri*, inquiens, *hæretico, vi Unionis hypostaticæ cum λόγῳ carnem fuisse exemptam à lege morali. Hæreticus enim hypostaticam Naturarum Unionem non concedit, sed negat. Addit, si Unio talis esset, quod non eximeret humanitatem juri naturali. Potius neganda consequentia, quod sit fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Est aliquid quo minimè ipse, nos verò tenebamur legi, maledictio. Hanc quia subjit, nec subire tenebatur, cum esset justus, impollutus, separatus à peccatoribus, quos solos lex maledictione ferit, utiq; præstat, quod præstare non tenebatur.* Ast num ita sufficiat hæretico negasse hypostaticam duarum in Christo Naturarum Unionem, ut nobis, ex ipsis textus nostri visceribus, quàm solidissimè probasse? Probat insuper affatim, hoc ipso capite, immunitatem Christi à legis obligatione, legis scopus. Lata enim fuit propter transgressiones, & transgressores, qui violare legem poterant, & vitæ εὐσεβῶς, δικαίως καὶ σωφρόνως ineundæ rationem, è legis præscripto, discere debebant. Cujus autem transgressionis periculo *Sanctum è Maria natum*, in quo πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, adeoq; Divina etiam Sanctitas σωματικῶς habitat, obnoxium opinabimur? Non latet igitur in elencho *Socciniano* ulla fallacia, speciem quandam veri mentita, sed patet enormis falsitas: erratq; *Pareus*, dum absolutam & omnimodam exemptionem Christi hominis à lege, per Naturam, nobiscum propugnare verecundatur.

6. Ecclesia

6. *Ecclesia Testamenti Novi, egregiam sibi prærogativam vendicat præ Ecclesiâ Testamenti veteris.*

Si statum scil. spectemus seculi præsentis. In hoc patres Test. Vet. longè deteriori conditione fuerunt nobis, ob incommoda varia, quæ Leviticæ ordinationes, de immunditie, non uno modo contractâ, de ablutionibus, & sacrificiis, ad tollendam immunditiem legalem, de feriis Judaicis, de cultu Dei publico ad solũ templũ adstricto, de abstinentiâ à variis cibis, de Circumcisione, & similibus, facesiverunt. Nos hodie postquam nuces & primæ ætatis crepundia reliquimus, & Ecclesia ἀκμὴν suam attigit, laxatis tandem Disciplinæ hujusmodi vinculis, molestiarum plurimarum vivimus exortes v. 3. 4.

7. *Inter Idololatriæ caussas eminet, veri Numinis ignorantia.*

Non uno quidem è fonte promanavit gentilium Idololatria. Effecerunt multum 1. *hieroglyphicæ* priscorum *parabolæ*, quibus illi tanquam obscuris ænigmatum involucris, Deum, variasq; ejus potestates circumscribebant. Has enim ætas posterа tanquam Numen cæpit adorare, signa hieroglyphica in Idololatriam vertere, neglectâ medullâ, cortici in hærere, lambere cum vulpe vas vitreum, pultem non attingere, muremq; farinà adspersum habere pro Domino pistrini. 2. *erroneæ* de *ministris Supremi Numinis* φαντασίαι, qui in curam rerum terrestrium incumbere putabantur. Qui enim propiores videbantur, hos majori observantiæ cultu sibi obstrictos reddere satagebant, ut ad supremum Numen liberiorem sibi aditum parарent. 3. ἀπαξίαι *multiplices*, partim μικρόκοσμον, partim μακρόκοσμον deturpantes. Hinc enim *Persæ* duos pro minimo Deos, vel 2. Principia commenti sunt, alterum bonum, alterum malum: illiq; lucem, æstatem & calorem, huic tenebras, hyemem & frigus in acceptis retulerunt. Quem errorem posteа suum fecerunt *Cerdoniani*, *Marcionitæ*, *& Manichæi*. Imò etiamnum *Indiani* non saltem Deum adorant, ut prosit, verũ etiam Diabolum, ne obsit. 4. *Nimiæ admirationes* tum *virium*, quibus multa corpora

naturalia prædita sunt, tum *virtutum* etiam, quibus præ cæteris mortalium nonnulli caput extulerunt,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Sic *Cham* 1. Idolomaniæ autor, gemino insignitus fuit nomine, suo, & veri Jehovæ, dictusq; *Jupiter Hammon. Nimrodi* quoque Successor *Belus*, ab *Assyriis* primò & *Chaldæis*, pòst etiam ab aliis gentibus pro Deo cultus fuit, & nuncupatus *Bel, Baal, Baalim*. 5. *Fraudes μυελοπαχιτῶν Cæcodæmonum*, qui vel magicâ arte vocati, vel utroneâ voluntate miseros mortales adorti responsis, quæ per illos dabant, adeò lymphaverunt plurimos, ut capitis pœnam constituerint, si quis obloqui auderet. Quomodo *Socratem*, cum, *μλυθείαν* irrisurus, per quercum, hircum, canem jurare mallet, quàm per fictos Deos græcorum, cicutæ haustus rebus humanis exemit. Nec subtraxisset eidẽ supplicio cervicem *Aristides*, nisi fugâ sibi salutem quæsivisset. 6. *Elati* supra modum quorundam *νομοθετῶν animi*, ut grandiori autoritate munirent, leges suggestionibus Deorum imputantium. Sic *Numa Pompilius* finxit nocturnam cum *Ægeriâ Nymphâ* consuetudinem, quamvis empæcta in libris latinis, & græcis, quos arcæ lapideæ inclusos terræ mendavit, sed postea luci restitutos, non aliarum modò gentium Deos, sed à se quoque introductos exploserit. 7. *Impostura flaminum*, qui vel abdomini, vel angeronæ famulantes, portenta inveteratorum errorum signis æquè mendacibus corroborare pudori nulli habebant. 8. *Pictura sculpturaq; idolorum*, opere Corinthio adornatæ, auriq;, gemmarum, aut eboris vi nitidissimâ ridentes, & plebis oculos perstringentes. 9. *Figmenta Poëtarum*, qui mortuos, imò infra mortuos amandatos homines, novâ apotheosi, in cœlo collocabant, & res ab illis gestas Diis transcribebant, à *Platone* hanc ob caussam Rep. excluſi. 10. *Corruptelæ antiquarum traditionum*. Cum audirent *Midianitæ*, tanti fuisse æstimatum femur *Abrahami*, ut inde prodire *Messias* debuerit, non tantùm in spurcas libidines despumarunt, singularis sanctitatis & justitiæ studio; sed in chorum etiam Deastrorum

strorum adsciverunt *Priapum*. Quia uberem fructum laudis tulit θεοθυμία *Abrahami*, immolaturi, Divino jussu, filium *Isaacum*, aliis pariter, in obsequium Dei, filios suos mactandos censuerunt. Quia *Adamum* acceperant, orto Sole, genua flexisse, & laudasse Dominum cœli & terræ, Solipse ad cultum prostare cæpit. Primas verò tenet *veri Dei Ignorantia*, juxta vers. 8. Cum *Noachi* progenies, confusis linguis, in diversas globi terreni partes sparsa esset, nonnulli adeò se permiserunt voluptatibus corrumpendos, ut illis, atheismo tandem infectis, in semetipsos descendere nunquam vacarit, nedũ adscendere in Deum. Alii non quidem omnem rationis usum exuerunt; attamen neque Deum, ut par est, glorificaverunt, neque devotà gratiarum actione venerati sunt: sed ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν: *gloriâ incorruptibilis Dei in variarum Creaturarum similitudinem conversâ*, Rom. I. 21. dum pro suo quisque arbitratu Numen sibi confinxit. Sicuti unius Dei cultum alienum à majestate Reip. Romanæ *Cicero* judicavit. Et *Symmachus*, populi Romani Orator, mutationem Religionis, quam Imperatores Christiani meditabantur, hoc argumento deprecari allaboravit, quod, cum comprehendere Deum plenè nemo posset, æquitati consentaneum foret, ut tantum quisq; veneraretur, quantum apprehendere valeret.

8. Cultus Religiosus cum ad reservata Majestatis Divinæ pertineat, æternam Deitatem Christi invicto argumento probat.

Syllogismum sanè, quem elumbem & futilissimum *Enjedinus* vocat, ipseq; fingit: *Galatæ cognoverunt naturà Deum. Galatæ cognoverunt Christum. E. Christus est naturà Deus*; et hac confutat retorsione: *Galatæ cognoverunt naturâ Deum. Galatæ cognoverunt Paulum. E. Paulus est naturâ Deus*; futilitatis hujus architecto relinquimus. Formamus autem illos, quibus nullæ inferorum porræ prævalebunt: *Cuicunq; competit religiosa adoratio, est naturâ Deus.* Ratio, quia *Galatæ* ante Conversionem gravissimè peccarunt, adorando τὸς μὴ ὄντας φύσει θεούς. vers. 8. *Christo competit religiosa adoratio*,

ratio, Hebr. I. 6. è Pſ. XCVII. 7. Matth. I. 8. 9. Lub. XVII. 38. Gal. I. 3. *E. Chriſtus eſt naturâ Deus.* Porrò: *Qvicunq; adorat eum qvi non eſt naturâ Deus, eſt Idololatra. Photiniani adorant eum qvi non eſt natura Deus* (ê ſuâ hypotheſi.) *E. Photiniani ſunt Idololatræ.*

9. Miniſtri Eccleſiæ Spirituales ſunt parentes, qvi, mediante verbo, homines regenerant.

Parentum appellationem Metaphoricam omnes gerunt. *Superiores*, ob ſinceritatem paterni amoris, quo inferioribus obſtricti tenentur, ut *Magiſtratus*, Gen. XLI. 43. I. Reg. XXIV. 12. I. Eſdr. I. 5. *Heri*, IV. Reg. V. 13. Ex. XII. 3. *Artifices*, quomodo *Jabel* Pater dicitur Paſtorum, Gen. IV. 20. *Jubal* Pater canentium citharâ & organo, ib. v. 21. Deſignantur etiam titulo honorario parentum *Præceptores*, ſalutaribus Sapientiæ monitis Diſcipulos imbuentes. IV. Reg. II. 12. & XIII. 14. Quid? quod *Alexander* M. Præceptorem *Ariſtotelem* parentibus propriè ſic dictis antepoſuerit; ſiquidem his tantùm τὸ εἶναι, ipſi autem τὸ εὖ εἶναι in acceptis referret. Multò tamen ſublimioris conditionis parentes ſunt, *verbi Divini præcones*, formantes Auditorum animos in effigiem bonorum Chriſtianorum. Quam ob cauſſam Apoſtolus *Galatas* cenſet nomine *filiorum*, v. 19. *Filioli mei, qvos iterum pario, donec formetur in vobis Chriſtus*, interventu ſc. Evangelii, quod eſt *potentia Dei ad ſalutem omni credenti* Rom. I. 16. *ſemen incorruptibile* I. Pet. I. 23. λόγος ἔμφυτος Jac. I. 21.

10. Univerſus hominum cætus, non incommodè ad duos refertur ordines, Legalem, & Evangelicum.

Legales juſtitiam quærunt in *Lege*, judicio carnali: *Evangelici in Chriſto*, judicio Spirituali: quemadmodum *Abrahamus duos habuit filios, alterum ſecundum carnem, alterum ſecundum Spiritum*, v. 21. Cumque non ſaltem Apoſtolorum, ſed omnis omnino ætas *Juſtitiariorum* amplisſimum agmen in Eccleſiâ tulerit, famoſiores tamen fuerunt ſeculo I. *Nazarei*, rejecto *Paulo*, quoscunque Moſaicos ritus ad omnes Chriſtianos pertinere delirantes.

rantes. II. *Apostolici*, prima Monachorum, cumprimis mendicantium, fundamenta jacientes, introducto triplici voto, Paupertatis, Continentiæ, & Obedientiæ. Quos æmulis deinde vi-ribus insecuti sunt *Hierachitæ*, nonnisi Monachos, & feminas quæ conjugium ejurarent, in societatem suã adscisentes: *Valesii*, semetipsos membro virili truncantes: *Tatiani & Encratitæ*, nuptiarum, vini, carniumq; usum damnantes: *Cathari*, seu *Novatiani*, singularem puritatem affectantes, & lapsis â Baptismo, occasione persecutionis Decianæ, firmam fiduciam remissionis peccatorum derogantes, Mosaicasq; ceremonias postliminiò revocantes. Sec. VI. prodiverunt *Donatistæ*, se ab aliorum commercio segregantes, & Ecclesiam sine maculâ & rugâ, hac in vitâ, somniantes: V. tũ *Pelagiani*, soli Adamo lapsum nocuisse, qui in nos transiret solâ imitatione; non esse peccatum concupiscentiam & libidinem; nos ἀυπξσίῳ nostro vel bonos fieri, vel malos; gratiamq; Dei propriorum operum meritis provocari contendentes: tum *Monachi* ceteri, *locustæ* illæ Apocalypticæ, ex tartarei putei fumo erumpentes, Apoc. IX. 3. de quibus *Palingen.* Lib. V. rectisimè cecinit.

Hos fuge. Pestis enim nulla hac immanior. Hi sunt
fex hominum, fons stultitiæ, sentina malorum,
agnorum sub pelle lupi, mercede colentes,
non pietate Deum.

11. Cum mutatio Nominis, quæ divinitus obtigit Abrahamo, non caruerit omine, tum digitus potissimum intentus fuit ad Paternitatem Spiritualem, quâ gaudet respectu omnium fidelium.

Fraudulentâ & malitiosâ mutatione Nominis, vergente in perniciem alterius, *L. Cornelia & Statut. Papiæ* 36. in Criminal. severè interdicit. Extra hunc casum pridem frequentatum, ac neutiquam in vitiis ponendum esse morem, novum assumendi nomen, exemplo suo clarissimè docent viri doctrinæ gloriâ illustres, v. g. *Plato*, quondam, *Aristocles; Theophrastus*, quondam *Tyrtamus*; *Homerus*, quondam *Melesigines; Aulus Licini-*

us,

us, quondam *Archias* appellatus. Imò prudentis interdum est, ad prætervehendas periculi non necessarii syrtes, sive in peregrinationibus, sive in persecutionibus Ecclesiæ, genuinum celare nomen, & usurpare peregrinum. Quoties adhæc etiamnum, cum natalibus quispiam restituitur, nomen antiquum cum novo commutatur? Itaq; cum & primum nomen Patriarcharum Principis fuerit אברם compositum ex אב quod notat Patrem, & רם quod signif. excelsum, adeoq; menti ingerens *Patrem excelsum*; ex *συνθήκη* procul dubio parentis *Tharæ*, quod excelsa cogitaturus, &, ipsius præsagio, Astrologus futurus, altaq; scrutatur? esset ac cælestia, ut *Philoni* videtur in lib. de gigant. ex Dei autem intentione, quod in Patrem evasurus esset omnium excelsorum, seu Cælicolarum; cumprimis *Messiæ*, cujus natalia Spramundanorum Spirituum chorus hoc carmine genethliaco veneratus est: *Gloria in excelsis Deo &c.* Luc. II. 14. Pòst audivit ê Jehovâ Gen. XVII. 5. *Non ultra vocabitur nomen tuum ABRAM: sed erit Nomen tuum* אברהם De *caussâ* mutationis, & *origine* novi nominis, in varia sententiarum divortia autores abeunt. *Clem. Alex.* lib. 5. Strom. fol. 255. de *Origine* ita disserit: *Abraham, cum sublimem eorum, quæ in aëre eveniunt, & excelsam eorum, quæ in cœlo moventur, perseqveretur Philosophiam, vocabatur Abram, qvod exponitur, Pater sublimis. Postea autem cum in cælum suspexisset, sive viso in Spiritu Filio, ut qvidam exponunt, sive glorioso Angelo, sive etiam aliàs cognito Deo creaturâ præstantiore, & qvolibet, qvi est in ipsâ, ordine, assumit ALPHA, nempe cognitionem unius & solius Dei, & dicitur Abraam, ut qvi, pro naturæ indagatore, sapiens piusq; in Deum, & ejus Amicus factus est. Exponitur enim pater electus, sonitus, verbum enim factum sonat. Hujus autem Pater est Mens: Ejus autem qvi est virtute præditus, est mens electa.* Quasi nomen hoc origine Græcum foret, non Hebræum. *Rabbini* nugantur, solam literam ה nomini pristino fuisse interpositum, ut & sub calcem nominis Saræ adjectum, è nomine יהוה At certiorem augmenti hujus originem ipse monstrat textus Codicis Sacri,

hæc

hæc immediatè addens: כי אב־המון גוים נתתיך *Quia Patrem multitudinis gentium dedi te.* Unde præter Tiræsiam nemo non perspicit lit. ה, cujus accessione Nomen primum auctum fuit, desumi è voce המון cujus ipsa initialis est, ut, pro Abramham, vel אברמהמון εὐφωνίας ἕνεκα, dicatur Abraham, *Pater excelsus multitudinis*, abjecto מ ex mediâ, & ן ex ultimâ syllabâ. *Rationem* quod attinet mutationis, defiguntur in solâ cogitatione amplisimæ posteritatis, generatione carnali ab *Abrahamo* procreatæ, *Rabbini:* cum & *Ismaëli* ortum debeant 12. tribuum Principes, Gen. XXV. 16. & *Isaaco*, per Jacobum, 12. itidem familiarum Israeliticarum Patriarchæ Gen. XXV. 23. ipsoq; ex *Abrahamo*, post obitum Saræ, 16. filios *Cethura* susceperit Gen. XXV. 2. Hoc vero iterum est externo inhærere cortici, ad nucleum non penetrare; lambere cum vulpe vas vitreum, pultem non attingere. Etsi enim non inficiemur, maximam omnino multitudinem liberorum, etiam naturalium, *Abrahamo* fuisse promissam, per mutationem nominis; primarios tamen aspectus in re longè potiori & augustiori Deum habuisse, paternitatis videl. Spiritualis, quam agnoscunt, quotquot sunt de cætu credentium, testem laudamus ἀξιόπιστον *Paulum*, vocationem gentium, ad consortium Ecclesiæ, ex hac mutatione deducentem v. 28. *Nos fratres, secundum Isaac, promissionis filij sumus*, inclusis, præter Judæos, unà ethnicis, qui Christo nomen dederunt. Sicuti fidem in omnes, qui vestigiis Abrahæ insistunt, derivare benedictionem Abrahami, in Christo Jesu, asseruit præced. cap. III. 14. utut olim fuerint *sine* CHRISTO, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ. Eph. II. 12. Conf. Rom. IV. 15. 16. *Ideò ex fide, secundum gratiam, ut firma sit promissio omni semini: non ei, qui ex lege est solùm, sed & ei, qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est: Quia Patrem multarum gentium posui te.* Necnon v. 12. *Signum accepit (Abrahamus) signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit Pater omnium credentium.*

Ἐλεγκτικὸς 1. *Non decet Testamentum Novum ignorantia & imperfectio Alphabetariorum.*

Sub lege erant pueri abcedarii, quibus πρῶτα στοιχεῖα Religionis inculcabantur v. 3. Ast tempus Evangelii requirit viros Doctrinâ conspicuos, & ad πλειότητα contendentes, Hebr. VI. 1. juxta vaticinum Jer. XXXI. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usq; ad maximum, inquit Dominus.* Contra *Abecedarios Anabaptistas*, & Pontificiorum *fratres ignorantiæ.*

2. *Evangelium non abolet Politias.*

Ipsum enim mysterium liberationis fidelium ab onere legum ceremonialium, & forensium, nec non à rigore legis moralis, per Christum, illustratur similitudine *Tutorum* vers. prior. ib. atque adeò simul approbatur distinctio dominiorum, & quicquid de bonorum temporalium administratione sanctiones politicæ, legi Naturæ conformes, decernunt. Sic Psalmus LXVIII. 6. Deum deprædicat *Patrem Orphanorum*, & Curatorem optimum, ne vel ipsi bona paterna dilapident, vel ab injustis possessoribus in fraudem inducantur. Idem sedulam pupillorum curam, suo his in terris vicario, Magistratui severè imperat. Ex. XXII. 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis.* Deut. X. *facite judicium viduæ & pupillo.* Contra *Julianum Apostatam*, in causam defertæ Religionis Christianæ prætendentem præcepta Salvatoris, Judiciis & Rebusp. infensa.

3. *Nec adorare Deum per imagines, nec invocare Sanctos licet.*

Contra *Pontificios*, utroq; modo, & per invocationem Sanctorum, & per adorationem imaginum, honorem soli DEO competentem tribuentes creaturis, fidemq; facientes pronunciato *Fausti: Idola vertistis in Sanctos & Martyres, quos similibus votis colitis.* Argumentamur iterum è v. 8. *Quicunq; non est naturâ Deus, is neq; religioso cultu est afficiendus. Sancti, & imagines non sunt natura Deus. Ergo Sancti, & imagines non sunt religioso cultu afficiendæ.*

4. *Discri-*

4. Discrimen inter λατρείαν, & δουλείαν religiosam, nullo fundamento nititur.

Usurpatur v. 8. δουλεία de cultu Divino, quem ethnici suis Deastris exhibuerunt, quemque Rom. I. 25. Apostolus vocat λατρείαν, *Commutaverunt*, inquiens, *veritatem Dei in mendacium*, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει, παρὰ τὸν κτίσαντα. Ut vocabula hæc duo in S. literis sint ἰσοδυναμοῦντα. Conf. Rom. I. 1. Παῦλος δοῦλος ἰησοῦ χριστοῦ. & VII. 25. δουλεύω νοῒ νόμῳ θεοῦ Matth. VI. 24. *Non potestis Deo* δουλεύειν *& Mammonæ.* Act. XX. 19. δουλεύων τῷ κυρίῳ. Non ergò recipit toloremIdololatria *Pontificia*, quem inductum cupiunt distinctione inter δουλείαν, & λατρείαν, sufficere existimantes, si hæc Deo relinquatur soli, illa autem deferatur Sanctis. SicutiCalvinista *Martinius* adorationem statuit geminam, *Divinam, & Divinæ proximam*, convenientem humanæ Christi Naturæ, cui aliàs Pontificii cum virgine Mariâ ὑπερδουλείαν deputant. Quasi cultus religiosus non foret unicus, & quidem verè merèq; Divinus. Adhibuit sanè distinctionis hujus, inter δουλείαν & λατρείαν, usum jam pridem B. *Augusti.* at longè alio sensu. Animadvertens nimirum *Augusti.* eandem Scripturam, quæ jubet Deum colere, timere, diligere super omnia, pariter nobis injungere dilectionem proximi, timorem Regis, cultum parentum, ut honorem Divinum ac religiosum discerneret à civili, cujus capaces sunt creaturæ, bono consilio, illum vocavit λατρείαν, hunc δουλείαν. *Pontificii* autem distinctione hac pessimè abutuntur, sua δουλεία religiosâ illud Sanctis assignando, quod, juxta Scripturam, Deo debetur soli. Quomodo *Bonaventura*, in quo Præceptori, *Alexandro ab Ales*, Adam non visus fuit peccasse, universum Psalterium ad Virginem Mariam accommodavit. Docet insuper quotidiana praxis, ad gratiam & misericordiam Sanctorum Pontificios confugere, è præscripto Catecheseos Romanæ, eaq; à Sanctis beneficia Spiritualia petere, quæ Deus solus confert, horumq; largitores Sanctos in authenticis precationum formulis, venerari. Cum igitur De-

us non vocabula, quæ sæpenumero, cum per se optima sint, rebus pessimis ab hominibus imponuntur, sed rem ipsam judicet, sibi quoque dictum Pontificii putent illud Gal. VI. 7. *Nolite errare, θεὸς δ μυκτηρίζεται.*

5. *Lapsi post Baptismum non omni aditu regni cælorum sunt excludendi.*

Eduntur quippe altero partu *Galatæ*, cum à Christo prius defecissent, v. 19. Quem in modum renati à lapsu *Protoplastæ*, Gen. III. *Aaron*, Ex. XXXII. *David*, II. Reg. XI. *Manasses*, II. Paral. XXXIII. *Publicani*, Luc XV. *Petrus*, Matth. XXVI. *incestuosus*, II. Cor. II. *Paulus*, Act. IX. aliiq;, fidem exemplo suo facientes pronunciatis, quibus ad pœnitentiam lapsos Deus invitat, seque illam serio expetere testatur, Jer. III. 12. *Revertere ad me, rebellis Israel, & non avertam faciem meam à vobis.* Matth. III. 2. *Agite pœnitentiam, appropinqvavit enim regnum cælorum.* Act. XVII. 30. *Jubet Deus omnes ubiq; resipiscere* Ezech. XXXIII. 11. *Vivo ego nolo mortem peccatoris; sed ut convertatur & vivat.* Zach. I. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Contra *Catharos*, Sectatores *Novati*, quem *desertorem* Ecclesiæ, *misericordiæ hostem, interfectorem pœnitentiæ* vocat *Cyprianus*, designatum Apoc. VIII. cum ad inflationem tubæ quartæ, tertia pars Solis, Lunæ, & astrorum, caligine obducta fuit. Etsi sententiam subinde mutarit, modò ἀπότομως negarit, post Baptismum ullum pœnitentiæ locum superesse; modo concesserit quidem lapsos ad pœnitentiam cohortandos restare, contenderit autem Sacerdotes nec posse, nec debere illis, ministerio Evangelii, remissionem peccatorum annunciare, ne Dei partes audaci temeritate sibi arrogarent, ut *Ambros.* refert: Unde imperator Constantinus, ad *Acesium* Novatianum: *Scalam, Aceси, admove, & in cælos adscende, qvia ministerij usum tollis:* modò distinxerit inter peccata *graviora*, quæ inter primum occupet locum abnegatio agnitæ veritatis, & *leviora*, quotidianæ incursationis, ac horum quidem remissionem Ecclesiæ ministris indulserit, non itidem illorum.

Parei

Parei judicio, *Possunt sanè semel renati penitus deficere, quantum ad se suamq; infirmitatem, & Satanæ potentiam; Verè tamen regenerati nunquam emoriuntur penitus, quia semen Dei, ex quo fuerunt regeniti, teste Apostolo Petro, sit immortale* I. Pet. I. 23. ast erroneo. E proprietatibus seminis, vel verbi Divini, si æstimanda foret indoles renatorum, nec minus immensa Dei Potentia renatis competeret, quàm huic semini, vel verbo, illuminanti spiritualiter eadem efficacià & virtute nostra corda, quà Deus jussit in primà creatione è tenebris splendescere lucem naturalem II. Cor. IV. 6.

6. Testamentum Vetus à Novo non tantùm differt Mediatore, obsignatione, tempore, duratione, & objecto; verum etiam tum solenni promulgatione, tum correlato, tum effectu.

Ambiguus est terminus *Testamenti Veteris, & Novi.* I. enim *Testam. Vetus* quandoq; apud Scriptores Ecclesiasticos sumitur pro *Statu* Ecclesiæ veteris, ab exordio mundi usque ad adventum Messiæ: *Novum*, pro *Statu* Ecclesiæ, ab initio æræ Christianæ, usque ad excidium mundi. 2. ponitur *Test. V.* pro *Scriptis Mosis & Prophetarum: Novum* pro *doctrinà* comprehensà scriptis *Evangelistarum & Apostolorum.* 3. notat *Test. V. pactum legale*, magnà solennitate, in monte Sinai, inter Deum & Israëlitas, sancitum: *Novum, fœdus Evangelicum*, de gratuità remissione peccatorum, quærendà in Christo II. Cor. III. 7. Atque hoc sensu, maximè Biblico, differt Testamentum Vetus à Novo 1. *Mediatore*, quia *lex ordinata fuit per Angelos, in manu Mediatoris* Gal. III. 19. nempe *Mosis* Joh. I. 17. *Lex per Mosen data est.* De mediatore autem Testam. Novi legimus Hebr. XII. 2. *Accessistis ad Novi Testam. Mediatorem, Jesum:* quippe *qui*, ut λόγος, *è sinu Patris cælestis, Evangelii veritatem gratiâ plenam attulit* Joh. I. 14. 2. *Obsignatione*, Testam. enim vetus obsignabat sanguis brutorum Ex. XXIV. 8. Novum, sanguis Jesu Christi Hebr. IX. 12. *Non per sanguinem vitulorum & taurorum, sed per sanguinem proprium introivit Sancta Sanctorum, æternà redemptione inventâ.* Zach. IX. 11.

Sanguine

Sanguine Testamenti tui emisisti vinctos è lacu. 3. *tempore.* Præcesit vetus, successit Novum. Jer. XXXI. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum &c.* & textus nostri v. 4. *Cum venit τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, misit Deus Filium suum &c.* 4. *Durationè.* Vetus habuit rationem umbræ bonorum futurorum: Novum autem σῶμα ipsum exhibet, ideoq; vetus abrogavit Hebr. X. 1. 5. *Objecto.* Vetus versabatur circa facienda: Lev. XVIII. 5. Novum se occupat circa credenda. Marc. I. 15. 6. *Solenni Promulgatione.* Vetus proclamatum est in monte Sinai Ex. XIX. Promulgationi autem Novi destinatus mons Sion. Es. II. 3. Mich. IV. 1. *E Sion exivit lex* (Evangelii) *& verbum Domini de Jerusalem.* Quare Hierosolymis pedem efferre discipulos Salvator noluit, *usque dum induerentur virtute ex alto* Luc. XXIV. 49. 7. *Correlato.* Vetus pactum fuerat cum populo Israëlitico, cujus typus *Hagar* juxta v. 24. textus nostri: Novum ad omnes sub sole gentes se extendit v. 27. è vaticinio Es. LIV. *Deniq; effectu.* Vetus *in servitutem generat* v. 24. sive servos facit peccati & gehennæ, imponendo jugum pusillis nostris facultatibus intolerabile. Act. XV. 10. Unde appellatur *litera occidens.* II. Cor. III. 6. Novum ex adverso *generat in libertatem*, v. 26. dum, quicquid lex operum minando imperat, lex fidei credendo impetrat. Quamobrem nuncupatur *Spiritus vivificans* II. Cor. III. 6. Contra *Pontificios*, disputantes 1. inter Test. Vetus, & Novum id interesse, quod inter doctrinam inchoatam, & perfectam; 2. illud literis fuisse consignatum; hoc autem vivæ vocis præconio propagandum: nec non *Anabaptistas* Test. Veteri saltem promissiones bonorum temporalium attribuentes: Imò & *Calvinianos*, perhibentes voce Testamenti designari doctrinam de Personâ & beneficiis Christi, adeoq; non differre Test. Vetus à Novo in *Materia*, vel *Substantiâ doctrinæ* ipsâ, sed *modo* saltem *revelationis, gradibusq; perfectionis*, ut illud sit obscurius, hoc autem illustrius. Quo è fonte promanat communis Sacramento-

crementorum omnium *analogia*, ex parte *Materiæ cælestis*, in fraudem τῦ ῥητῦ verborum cænæ conficta.

7. *Infallibilem Ecclesiæ veræ notam nec amplitudo præbet, nec temporalis felicitas.*

Thomas Bozius olim C. recensuit Ecclesiæ notas. *Bellarm.* constituit 15. ad quas tamen ceteræ possint reduci, I. *Catholicismum*, 2. *Antiqvitatem*, 3. *durationem non interruptam*, 4. *amplitudinem*, 5. *continuam Episcoporum successionem*, 6. *conspirationem in doctrinâ cum Ecclesiâ antiqva*, 7. *Unionem membrorum inter se & cum capite*, 8. *Sanctitatem doctrinæ*, 9. *efficaciam doctrinæ*, 10. *Sanctitatem vitæ autorum*, 11. *gloriam miraculorum*, 12. *lumen Propheticum*, 13. *confessionem adversariorum*, 14. *infelicem exitum eorum, qvi Ecclesiam oppugnarunt*, 15. *temporalem felicitatem.* Sed tantum abest, ut *temporalis felicitas* ἀναμφισβήτητον τεκμήριον & γνώρισμα Ecclesiæ veræ præbere queat, ut potius illi sub vexillo crucis perpetuò his in terris militandum sit. Quemadmodum *Isaacus* ab *Ismaele*, sic Ecclesia vera à falsâ insectationes multiplices nunquam non perpetitur v. 29. Quam sortem Salvator prædixit Matth. X. 16. & 34. Joh. XVI. 2. historiæ comprobant, præsertim tempore 10. majorum persecutionum, sub *Nerone, Domitiano, Trajano, Adriano, Antonino Phil. Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Diocletiano.* Unde natum Distichon:

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit,
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Ita v. 27. confertur ex Es. LIV. Ecclesia Testam. Novi cum muliere *sterili*, non *parturiente*, quod numerus fidelium quandoq; contrahatur ad gregem valdè pusillum, Luc. XII. 32. latissimè contra se diffundente cætu malignantium. Hinc *Constantius* Imp. Arianus ad Episcopum Romanum: *Qvota pars tu es orbis terrarum, qvi solus facis cum scelerato Athanasio, & orbis terrarum ac mundi totius pacem dissolvis?* Cui respōsum: *Non minuitur solitudine mea verbum fidei. Nam & olim tres solùm inventi fuerunt, qvi edicto restiterunt.*

8. Est autem certissima Ecclesiæ veræ nota, sincera verbi Prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio.

Confirmat hoc ὀφθαλμοφανῶς epistolæ universæ scopus, reductio Galatarum ad puritatem doctrinæ Evangelicæ, à Paulo prædicatæ. Ecquis enim tam crassorum est sensuum, ut inde non perspiciat, tantum Galatas de veritate Ecclesiæ amisisse, quantum de veritate ac puritate Evangelii perdiderunt: nec nomen Ecclesiæ veræ sustinere posse, nisi ad veritatem, puritatemq; Evangelii redeant, utpote quibus aliàs Christus otiosus foret & inutilis? Concludimus breviter: *Quocunque corrupto, necessariò Ecclesia simul corrumpitur, id pro notâ infallibili Ecclesiæ veræ rectissimè habetur. At corruptâ prædicatione Evangelii, necessariò Eccl. simul corrump. E.*

6. Splendor & Majestas Ecclesiæ perpetua, & præcipua in oculos non incurrit.

Cælestis est Civitas, totaq; Spiritualis Ecclesia. v. 26. Spirituale igitur etiam & internum, solaq; acie mentis pervestigandum, quicquid possidet perpetui splendoris, Psalm. XLV. *Tota pulchra est filia Regis intus:* atque adeò nec in diademate consistit Pontificis Pompificis, nec in purpurâ Cardinalium carnalium, nec in luxu plusquam Persico Prælatorum elatorum. Quà formam & splendorem externum, instar lunæ, jam crescit lumine, jam decrescit; jam latet, jam patet; majoremq; alit cognationem cum cætu Musico, è docentibus & discentibus similiter constante, quàm cum illustriori Regno, ut Gallico, aut Rep. Venetorum, cujus imagine depingi à Pontificiis solet.

Παραινετικὸς 1. *Ministrorum verbi est, solerter dare operam, ne puritas Religionis quicquam detrimenti capiat.*

Quantò plus momenti situm est, ad æternam beatitudinem, in Sincerâ Religione, tantò plus caliginis offundere tenebrio Satanas consuevit. Non minus igitur stent erecti vigiles domus Dei, quàm in Poëtarum fabulis *Janus* pater, & *Argus*, ne quod

quod ipsi per Dei συνεργίαν gratiam ædificarunt, astu Satanas destruat. Hinc v. 11. *metuit Paulus, ne frustra defatigatus fuerit*, molitionum Diabolicarum minimè ignarus. Pretio enim & palato religionem addictam habere, *mercenariorum* est, fugientium veniente lupo, non verorum Pastorum, Joh. X. 13.

2. *Pro hac tantà curà, Auditores decet Doctoribus reciproco sinceri amoris affectu respondere.*

Nam & encomiasten *Galatarum* agit *Paulus*, v. 15. *Testor, quod, si possibile, oculos vestros effodientes dedissetis mihi.* Et antecedente v. 14. *Sicut angelum Dei, suscepistis me, sicut Jesum Christum.* Ipse enim tum reverentiam, tum irreverentiam erga verbi Divini ministros, sibi imputat Luc. X. 16. *Qui vos audit, me audit, qui vos autem spernit, me spernit.*

Ἐπανορθωτικὸς 1. *Non merentur autem Pastorum, Prælatorum, vel Episcoporum honorificam appellationem, qui labores necessarios, saluti Ecclesiæ impendendos, aversantur.*

Non uno loco *Apost.* suos labores Sacros deprædicat. Facit hoc. I. Cor. XV. 10. Facit cap. IV. 3. & II. Cor. XI. 23. Facit etiam v. 11. textus nostri: *Timeo, ne frustra* κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς. Κόπος enim laborem notat gravissimum, comitem defatigationis. Sicuti munus Ecclesiasticum laboribus definit I. Tim. V. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrinà.* Patet hinc igitur luce meridianâ clarius, quo loco habendi sint *Episcopi & Prælati* Pontificiorum, καλὰ θηρία, γαστέρες ἀργαὶ, otio diffluentes, & fruges consumere nati.

2. *Reprehensiones errantium, è publico legitimoq; Doctrinæ Zelo prognatæ, non in convitiis, sed officiis ponendæ sunt.*

Cum enim Doctoribus Ecclesiæ auditorum errata nullam inferant injuriam privatam, teste v. 12. *Nihil me læsistis;* nec privatæ vindictæ exercitium spirant: sed, optimi finis intentione, suscipiuntur illorum correptiones, ut, per revelationem nimirum peccatorum, errantes ad agnitionem sui, seriamq; pœnitentiam perducantur.

Παρακλητικὸς 1. *Felicitatem mysticorum filiorum Dei, omnibus tentationum nimbis opponendam, nulla mens cogitando assequi, nulla lingua fando exponere potest.*

Mundanus pater filios omnium bonorum sortitur hæredes: nos suorum, Deus: v. 7. Inventi inter Patres mundanos, qui vel filios infantes exposuerunt, vel in ætate provectiori neglexerunt. Nescit hanc ἀστοργίαν Deus. Es. XLIX. 15. *Numqvid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Atque sic φιλανθρωπία Dei, στοργὴν hominum multis parasangis post se relinquit. Quid igitur nobis ad omnigenam felicitatem deesse potest? Egemus justitiâ? Patre gaudemus Justissimo, ejusque justitiæ optatissima hæreditas nos manet. Egemus sanitate? Omnis sanitatis fons Pater noster, & quicquid illius, pariter nostrum est. Premimur paupertate? Patrem nacti sumus opulentissimum, cujus est terra & plenitudo ejus. Commutamus cum morte vitam? Patre fruimur vitæ autore, inexhaustum vitæ æternæ thesaurum nobis aperturo. Exhæredationis pęnam propter peccata promeriti sumus? Resipiscamus modò, & ad frugem meliorem nos recipiamus, Pater noster misericordissimus, *non vult ut pereat peccator, sed ut convertatur & vivat.* Ezech. XXXIII.

2. *Ad profligandum pavorem, qvo involvere lex tentatum satagit, Scriptura de lege admodum ignominiosè, magnificè contra de Evangelio disserit.*

Ut II. Cor. III. *lex* vocatur *litera occidens, & administratio mortis:* ita hîc v. 3. designatur per *elementa mundi*, circa quæ νήπιοι sese occupent, non virorum aliqui ævi & judicii maturorum. *Ideò Conscientia in vero agone,* inquit *Lutherus, nihil prorsus cogitare & nosse debet, nisi unicum Christum, ac summis viribus adnitatur, ut tum legem qvam longissimè è conspectu abjiciat. Nam si permiseris legem in conscientiâ dominari, cum tibi res est cum peccatis & morte vincendis coram Deo, revera nihil aliud est lex, qvam omnium malorum, hæresium, &*

blas-

blasphemiarum sentina. Quare hîc si prudens es, longissimè ableges M sen balbum & blæsum cum suâ lege, neq; ullo modo te moveant terrores & minæ ipsius. Hîc simpliciter sit tibi suspectus, ut hæreticus, excommunicatus, damnatus, deterior Papâ & diabolo, ideò prorsus non audiendus.

3. Clamorem actoris Diaboli, coram tribunali Divino, longissimè superat clamor paracleti Spiritus Sancti.

Diabolus stygium edit clamorem, contra nos, recensendo ordine, ac supra modum exaggerando peccata, poscendoque reum ad supplicia, tanquam lictor & executor Divinæ justitiæ. Spiritus Sanctus autem clamat pro nobis, tanquam Paracletus, & Caussarum Patronus: *Abba, Pater,* v. 6. *adjuvando infirmitatem nostram gemitibus inenarrabilibus* Rom. VIII. 26. occultioribus quidem interdum, quàm qui percipiantur à nobis, tantùm non animam, sub tentationum pondere, agentibus, (dum videtur caligare cælum, tremere terra, & orbis universus minitari ruinam, infernus autem immani rictu in nos inhiare,) sed penetrantibus tamen nubes, & pertingentibus ad aures Dei, imò cælum & terram ita personantibus, ut præter illos Deus nihil audiat. De tali clamore afflictorum piorumq; cordium inquit Salvator Luc. XVIII. 7. *Num Deus non faceret vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, & patientiam haberet super illis?* Et Jehova Es. LXV. 24. *Illis adhuc clamantibus respondebo.* Exemplo sit *Moses.* Cum hic ad mare rubrum omnia extremâ spe pendere perspiceret, & in fati qu. limine constitutus, audiret dubio procul internum hunc clamorem diaboli: Universæ huic circumfusæ multitudini hodierna dies suprema illuxit, nulla enim apparet elabendi rima: idq; te autore, qui educendo illam ex Ægypto, præpilatis inimicorum hastis objecisti; præter externam illum lugubremq; ululatum populi: *Annon erant sepulchra in Ægypto? Tu ideo eduxisti nos, ut hîc moreremur in deserto. Annon melius fuisset servire Ægyptiis, quam hîc miserè mori in deserto?* Ipse autem vix suspirium aliquod duceret, in hac defi-

xus cogitatione, Ah Domine, nonnisi à te imperata executioni tradidi, fer igitur opem mihi! mox audiit è καρδιογνώστῃ Deo: *Quid clamas ad me?* Ex. XIV. 15. Sit *Elias*, qui, præsentiam Dei horrendâ procellâ, cujus impetu montes rumpebantur, & rupes disiliebant, extus manifestante, intus autem clamante itidem Diabolo: En Deus adest, Deus ille Zelotes, ignis consumens, cujus sustinere conspectum nemo valet; se in speluncam illatebrabat, consternatione plenus, donec clamor Spiritus Sancti: Propior Deo, propior flagello; animam ei redderet, ut hocipso excitatus pedem extra claustra poneret, & cogitaret, Loquere Domine, servus tuus audit. III. Reg. XIX. 13.

ABUTUNTUR

I. *Pontificij*, pro stabiliendo Limbo patrum, è quo demum pòst descensum Christi ad inferos, fuerint liberati, v. 3. *Cum essemus infantes, sub elementis mundi serviebamus.* Syll. *Quicunq; sunt admissi ad cælestia gaudia, non fuerunt servi & infelices. Patres Test. Vet. fuerunt servi & infelices. E.* Resp. limitando prædicatũ Majoris: Quicunq; sunt admissi ad cælestia gaudia, non fuerunt servi & infelices sc. *post hanc vitam temporalem.* Sic neg. Minor. Etsi enim infelices meritò judicentur Patres Test. Vet. συγκριτικῶς, respectu Ecclesiæ Test. Novi, ob multiplex jugum legum Leviticarum, quod cervicibus illorum olim incubuit, nostris hodie excussum est; nil tamen detrimenti propterea ceperunt in statu seculi alterius, nec quicquam ipsos, post beatum obitum, vel ad momentum prohibuit fruitione felicitatis æternæ. Imò *Enochus, & Elias* vivi translati fuerunt in cælum, Gen. V. 24. IV. Reg. II. 11. *Moses* quoq;, cum *Eliâ*, non è limbi claustris dimissus, sed cælesti gloriâ lætus, Christo apparuit, ante ipsius descensum ad inferos. Matth. XVII. 3. Sic percussit prius & titillavit *Lazarum*, quàm ad inferos Christus descenderet, suaviori thyrso cælestis consolationis, sinus Abrahæ. Luc. XVI. 23. Sic latroni in cruce promissa fuerunt Paradisi gaudia, ipso die magnæ Passionis, Luc. XXIII. 43. Taceo

quod

quod *Justorum omnium animæ* corporeis vinculis exolutæ, *semper fuerint in manu Domini* Sap. III.1. Cum enim ratione *decreti Divini, & efficaciæ suæ, agnus occisus sit ab origine mundi* Apoc. XIII.8. æquè *per gratiam Jesu Christi Patres fœderis antiqui salvi facti sunt, ac nos* Act. XV. 11.

II. *Helvidiani,* contra perpetuam Virginitatem Mariæ, v. 4. *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum ex muliere.* Syll. *Nulla mulier est ἀειπαρθένος. Maria est mulier. E.* Resp. latitare ὁμωνυμίαν in vocabulo mulieris, quod jam *latè* sumitur, jam *strictè*. Valet Major, si de muliere intelligatur in sensu strictiori. Sic autem corruit Minor. Cum enim *filius Dei natus* dicitur *è muliere,* mulier, sensu latiori, significat quamcunque personam sexus sequioris, tam virginem, quàm virum passam. Quamobrem Christus *semen* quidem *mulieris,* Gen. III. & *mulieris filius* vocatur, Matth. XXVII. nusquam verò viri & mulieris simul.

III. *Calviniani,* contra religiosam adorationem Humanæ Christi Naturæ, v. 8. *Tunc ignorantes Deum, servietis iis, qui non sunt naturâ Dij.* Syll. *Quicquid non est naturâ Deus, non est adorandum. Caro Christi non est naturâ Deus. E.* Res. I. limitando Subjectum Majoris: Quicquid non est naturâ Deus, *nec Deo Naturali hypostaticè unitum,* id non est adorandum. Sic neg. Minor. *Unus est,* per intimam duarum Naturarum περιχώρησιν, *Dominus,* ὁ θεάνθρωπος. Eph. IV. *Unus* etiam propterea Divinæ Majestatis thronus, quem secundum utramq; Naturam occupat, *Una* δοξολογία, quâ sedentem in throno Deum, & agnum pro nobis occisum, Ecclesia Triumphans prosequitur. Apoc. V. 14. 2. limitamus prædicatum Majoris: Quicquid non est naturâ Deus, non est adorandum *per se.* Et ita conced. totum. Nam, quia consors religiosæ adorationis caro Christi evasit, propter Unionem hypostaticam cum λόγῳ, vendicat illam sibi saltem κατ' ἄλλο. *Per se* solam Divinitatem *adorabilem,* humanitatem verò *adorantem* confitemur cum *Cyrillo:* adoramus tamen cum *Damasceno*

τὸν

τὸ λόγῳ συναμφότερον, hoc est, totum Christum, propter Unitam carni Divinitatem.

VI. *Pareus*, contra Zelum Theologorum Nostratium, in confutando Calvinianismo v. 17. 18. *Æmulantur vos non bene: bonum autem æmulari in bono semper. Zelantur*, inquiens, *multi adversum Orthodoxos, sed οὐκ ἐν καλῷ, quia pro Ubiquitate, quam putant bonam esse, cum adversetur fidei, contra ὀρθοξίαν, quâ putant lædi Majestatem Christi, cum minimè lædatur: nec πάντῃ πε, quia si multis cautum esset de suis honoribus, dignitatibus, aurâ populari, ambitione, quæstu, ὀρθοδοξίαν oppugnarent remissius.* Syll. *Quicunq; nec in bono Zelantur, nec semper, eorum Zelus est culpandus. Lutherani nec in bono Zelantur, nec semper, E.* Resp. negando Minorem, cujus quod attinet probationem, quisquis adversari fidei Ubiquitatem, vel Omnipræsentiam Carnis Christi opinatur, contradicat, necessum est, vel Apostolo, prædicanti de Christo, post Ascensionem in cælum, impletioυem cæli & terræ, secundum eam Naturam, respectu cujus prius descenderat εἰς κατώτερα μέρη τῆς γῆς Eph. IV. 9. vel Jehovæ ipsi, Omnipræsentiam suam describenti per impletionem Cæli & terræ Jer. XXIII. 24. Et quo pacto salva manebit Divina Christi Majestas, prout eam & in tempore Christus à Patre petiit Joh. XVII. *Glorifica me Pater eâ gloriâ, quam apud te habui, antequam mundus esset;* & Pater promisit Joh. XII. *Glorificavi, & glorificabo;* si à Natura Humana aufferatur? secundum quam solam Christus accepit, & accipere potuit, quicquid ei in tempore, per glorificationem, datum est, cum secundum Naturam Divinam omnia habuerit ab æterno. Cur autem accusantur à *Pareo* indefinitè *Lutherani, quod non semper æmulentur? Quia si multis, ait, cautum esset de suis honoribus &c.* ὀρθοδοξίαν (nempe Calvinisticam, hoc est, κατ' ἀντίφρασιν talem) *oppugnarent remissius.* Verum meminisse *Pareus* debebat, Multos nondum esse Omnes, nec de Universo statim Theologorum Lutheranorum choro valere, quod de uno & altero affirmare licet.

V. tum *Pontificij*, tum *Calviniani*, tum *Patres* nonnulli, cum primis

primis *Origines*, pro licentiâ omnia, ad arbitrium, vertendi in allegorias, v. 24. *Quæ sunt ἀλληγορούμενα*. Speciatim *Pontificij* adstruere hinc satagunt unius dicti duplicem sensum, *literalem, & Spiritualem*, quem *Bellarm.* subdividit in *tropologicum*, quo aliquid refertur ad vitam & mores; *anagogicum*, quo respicit vitam æternam; & *allegoricum*, quo reducitur ad Christum & Ecclesiam. Quomodo *Sabbathum literaliter* illi significat cessationem à laboribus corporis, *tropologicè* quietem ab operibus mortuis peccatorum, *allegoricè* quietem Christi triduanam in sepulchro, *anagogicè* immunitatem beatorum ab omnibus ærumnis. *Cornelio autem â Lapide h. l. sensus literalis est Abrahamum ex Agar genuisse Ismaëlem naturaliter, Isaacum ex Sara supernaturaliter: allegoricus, cum Paulus ait: Quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo testamenta: tropologicus, cum ait: Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum Spiritum, ita & nunc: anagogicus, cum ait: Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est.* *Calviniani* præsidium aliquod hic quærunt, contra τὸ ῥητὸν verborum Cænæ. Progrediamur Syllogisticè: *Quicquid nititur suffragio ipsius Spiritus Sancti, non est improbandum. Allegorica Scripturæ explicatio nititur suffragio ipsius Spir. S. E.* Resp. limitando prædicatum Majoris: Q. nititur suffr. ipsius Spir. S. non est improbandum *simpliciter & ubiq.* Sic conced. totum. Etsi autem non ægrè admittamus allegoricum sensum quorundam Oraculorum; nondum tamen valet Consequentia à Particulari, ad Universale: Hoc & illud Scripturæ Dictum potest explicari allegoricè. E. etiam Scriptura tota. Deinde disting. inter allegorias *ab ipso Spir. S. monstratas, & ab hominibus excogitatas*, ne sub eundem censum vocentur omnes. Sic figuram *Mannæ, serpentis æneï, Salomonis, & Jonæ* de seipso interpretatur CHRISTUS Joh. III. 14. VI. 35. Matth. XII. 40. De CHRISTO itidem explicat *Paulus* typum *agni Paschalis*, I. Cor. V. 7. *Propitiatorij*, Rom. III. 25. *aquæ ex Petrâ profluentis* I. Cor. X. 4. Legem quoq; Deut. XXV. 4. quæ vetat *obligare os bovi triturant*i, de sustentando ministerio

nisterio I. Cor. IX. 9. I. Tim. V. 18. Ubi sensus integer, è signo & signato collectim sumptis eruendus, in altero autem seorsim accepto partialiter tantùm continetur. Allegoriæ, tropologiæ, anagogiæ Patrum, si ostii limen attingant, non sunt diversi sensus: sed variæ ejusdem sensus accommodationes, dum ex unâ eademq; historiâ interdum aliquot emergunt non inconcinnæ similitudines: a.a. Sensus proprij verborum, quib. historia describitur, Unicus manet. Quare tales allegoriæ parum firmas probationes gignunt, juxta Canonem: *Theologia allegorica non est per se argumentativa.*

ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΕΣ

I. versatur inter vers. 3. *Nos cum eramus infantes* (in Test. Veteri) *sub elementis mundi serviebamus;* & Num. XII. 6. 7. 8. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis est servus meus Moses, qui in omni meâ domo fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, palàm & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Syll. *Vir Deo familiaris, non est, ratione cognitionis Divinæ, judicandus νήπιος. Quidam servus Testam. Veteris, est vir Deo familiaris, ut Moses. ε.* Resp. committi ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου. Non enim confertur una aliqua persona cum alterâ, sed integra Ecclesia cum Ecclesiâ, factâ denominatione à maximâ multitudine membrorum. Ut huc etiam applicare liceat adagium: Μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. Accedit fallacia à *dicto secundum quid ad dictum simpliciter,* ut limitandum sit secundo loco præ dicatum Majoris: *Vir Deo familiaris, non est, ratione cognitionis Divinæ, judicandus νήπιος, ἁπλῶς.* Quomodo conced. argumentum totum. Etsi autem tum *Moses,* tum *Prophetæ* alii insigni rerum Divinarum notitiâ polluerint; nondum tamen in contentionem perfectionis vocari merentur cum *Apostolis,* de quibus *Salvator* Luc. X. 23. *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.* Unde *D. Johannes* in vestibulo statim Epist. I. de prærogativâ *Apostolorum*

lorum: Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ annunciamus vobis. Quamobrem & *Moses* cum *Proph.* reliquis infantibus, quâ θεογνωσίαν, accenseri meretur συγκεκριμένως, respectu *Apostolorum. Occinis: & Apostolos rerum variarum grandi ignorantiâ laborasse.* Distingue porrò tempora, & concordabit Scriptura. Ignorantiæ fuit tempus, ex parte Apostolorum, quod miraculosam Spir. Sanct. effusionem antecesit: non fuit, quod subsecutum est, caliginosam prisci erroris nebulam clarissimâ luce depellens. Sed *Corinthij* tamen & *Hebræi* reprehenduntur, quod, ceu pueri, lacte adhuc indigeant. R. manent sub Novo etiam Fœdere quamplurimi pueri, sed incuriæ suæ vitio, non propter obscuritatem revelationis Divinæ.

II. Inter vers. 4. *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum è muliere, factum sub lege;* & Matth. XII. 8. *Dominus est filius hominis etiam Sabbathi.* Syll. *Dominus legis, non est legi subjectus. Christus homo est Dominus legis. E.* Resp. limitando prædicatum Maj. *Dominus legis non est legi subjectus* necessitate aliquâ naturæ. Sic conced. totum. Quod enim pro nobis Christus legi se submiserit, id factum per liberrimam dispensationem, quâ Universam spartam, & servitutem Mediatoriam, nostro bono, suscepit, *Rex ille Regum & Dominus Dominantium.*

III. Inter vers. 4. *Misit Deus filium suum natum E muliere* & Matth. I. 20. *Quod IN eâ natura est, de Spiritu Sancto est.* Syll. *Quicunq; est natus IN muliere, non fuit natus E muliere. Christus est natus IN muliere. E.* R. limitando Majorem: *Q. est natus in muliere,* tanquam nudo generationis loco, non ut vera caussâ, *is non fuit natus E muliere.* Sic corruit Minor. Etenim si influxus omnis caussalis, in generatione Humanæ Christi Naturæ, Matth. I. Mariæ adimeretur, nec credenda illa foret, ad productionem hujus effectus, ultra naturæ vires, per obumbrationem Spiritus Sancti, elevata, quo jure statim Cap. II. 13. salutaretur Christi

mater?

mater? Imò quì legeremus ipso Cap. I. 16. *Jacob genuit Joseph, virum Mariæ, ἐξ ἧς natus est Christus.*

IV. Inter vers. 3. *Nos cum essemus infantes, sub elementis mundi serviebamus; & 5. misit Deus filium, ut υἱοθεσίαν acciperemus.* Syll. *Qvicqvid jam obtinuerunt fideles in Test. Vet. id non demum collatum est in Novo.* Υἱοθεσίαν *Divinam jam obtinuerunt fideles in Test. Veteri, ut infantes nempe hæredes. E.* Resp. per distinct. inter υἱοθεσίαν consideratam ἁπλῶς, & σχετικῶς, ratione plenarii liberrimiq; usus. Absolutè si spectetur υἱοθεσία, quat. significat legitimam ex non filio in filium susceptionem, Min. concedimus, & unà arg. totum. Quia verò Patres Test. Vet. sub tutelâ legis, tanquam minorennes, constituti, ad servorum vilitatem propius accesserunt, quàm ad libertatem hæredum adultorum, plenarius usus fructus hujus libertatis prorogari debuit usq; ad ætatem Test. Novi, & huic proprius reservari.

V. Inter vers. 6. *Misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba, Pater;* & Gen. XVII. 1. אני אל שדי Syll. *Deus omnipotens neminem invocat. Spiritus Sanct. est Deus omnipotens,* ob exactiss. Patris, Filii, & Spir. S. æqualitatem. *E.* Resp. ad Majorem distinguendo inter Invocationem *propriè sumptam, & metonymicè.* De priori loquitur Major, & arg. conceditur totum. Clamat nimirum Spir. S. *effectivè,* non quod ipse Deum propriè invocet: sed quod efficiat in eorum cordibus, quos moderatur, ut cum fiducià precationem suam peragant, & querelas omnes in sinum Dei effundant, interprete Apostolo Rom. VIII. 15. *Accepistis Spiritum adoptionis, per qvem clamamus Abba, Pater.*

VI. Inter uers. 8. *Tunc ignorantes Deum serviebatis illis, qvi non sunt naturà Dij;* & Rom. I. 20. Τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται. Nec non II. 14. *Gentes* φύσει *qvæ sunt legis faciunt.* Syll. *Qvibuscunq; competit notitia Dei partim* σύμφυτος, *partim* ἐπίκτητος, *illi Deũ non ignorant. Gentibus competit notitia Dei partim* σύμφυτος, *partim* ἐπίκτητος. *E.* Resp. limitando prædic: Majoris: Q. competit notitia Dei part. συμφ. prrtim ἐπικτ. illi Deum non ignorant

gnorant ἀπλῶς. Sic conced. totum. Distinguendum enim inter notitiam Dei *Naturalem, & revelatam; Legalem, & Evangelicam. Legalis, & Naturalis,* qualis gentium, quòd Deus sit, quodq; justus Judex, retribuens benefactis præmia, malefactis autem supplicia, necessaria quidem existit: sed manet admodum mutila, sed imperfecta, sed ad salutem insufficiens, parum est, si sibi relinquatur soli, omnis Idololatriæ origo. Nam, cum cognoscant aliquo modo Deum gentes, ex insito lumine Naturæ ac legis, varios quærunt cultus, quibus in gratiam cum ipso redeant. *Turca* delicias sibi facit ritibus à Mahomete præscriptis, tam persuasus quàm qui maximè, illorum observatione iram Dei declinatum iri. *Pontificij,* per ἐθελοθρησκείας suas, & Monastica opera supererogationis, ad astra contendunt. Salutaris autem revera sola est notitia Dei *Evangelica, in mysterio abscondita,* & rationi imperveſtigabilis I. Cor. II. 7. quod Deus nobis clementiam tribuat propter Jesum Christum, si ejus merita fide nostra faciamus. De hac Joh. I. 18. *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit.*

VII. Inter vers. 10. *Quomodo convertimini ad egena elementa mundi: Observatis dies, menses, tempora & annos;* & Apoc. I. 10. ubi mentio fit *diei Dominicæ,* ut Act. XX. 7. μιᾶς τῶν σαββάτων. Syll. *Quicunq; rectè ac ordine celebrant diem Dominicum, illis non est interdicendum omni observatione dierum. Christiani rectè ac ordine celebrant diem Dominicum. E.* Resp. distinguendo inter observationem *liberam, & opinione absolutæ cujusdam necessitatis moralis susceptam.* De priori conced. Major, totumq; unâ arg. Libertate Christianâ Apostoli Sabbathum Judaicum permutaverunt cum die Dominico. Huic igitur etiamnum diei Dominicæ solennitas subjacet, ut ἀδιάφορον perse. Sola est opinio *absolutæ necessitatis moralis, cultusq; ac meriti,* & quidem de *festis Judæorum,* quæ in *Galatis* damnatur. Replicas: Requiri tamen celebrationem Sabbathi ipsâ lege morali, tertio sc. Decalogi præcepto. Distingue uberius inter Sabbathum *determinatum, & indeterminatum. Indeterminatè*

quidem consecrare publico JEHOVÆ cultui diem quemque septimum, seu certum aliquem in hebdomade diem, Lege morali jubemur: determinare autem ad hunc usum sacrum hunc, vel istum diem, sive Solis, sive Lunæ, sive Martis, sive quemcunque alium, arbitrii est Ecclesiæ. Triplicas: Non omnes dies omnibus negociis, arationi, occationi, pampinationi, Judiciis, nundinis, nuptiis &c. convenire: sed *omnia habere suum tempus.* Eccl. III. Cui succinit *Ovid.*

Poma dat autumnus, matura est frugibus æstas,
Ver præbet flores, igne levatur hyems;

Et Virgilianum illud Carmen:

Verq; novum stabat cinctum frondente coronâ,
Venerat ac æstas & spicea serta gerebat,
Venit & autumnus, calcatis sordidus uvis,
Et glacialis hyems canos hirsuta capillos.

Cave confuderis actiones *religiosas*, cum *Physicis*, *Oeconomicis*, aut *Politicis*, quales nec à nobis hîc spectantur, nec ad forum Theologicum pertinent.

VIII. Inter vers. 11. *Metuo ne frustra laboraverim in vobis*; & Es. LXV. 23. *Electi mei, non laborabunt frustra.* Syll. *Quicquid adversatur promissioni Divinæ, non est formidandum. Frustraneus Ministerij labor adversatur promiss. Div. E.* Resp. 1. limitando Subj. Majoris: *Q. adversatur promiss. Divinæ* absolutæ, *non est formidandum.* Sic corruit Minor. *Conditionatæ* enim sunt, quæ de felici laborũ successu, apud *Esaiam*, & alibi ex tant promissiones Dei, si malitiæ & ingratitudinis obicem auditores perseveranter non posuerint. 2. limitamus prædic. Majoris: *Q. adverss. prom. Div. non est formidandum* ex parte Dei. Sic conc. totum. Metuit enim, ne frustra se defatigarit, *Paulus*, propter imbecillitatem hominum, qui gratiam Dei facile excutere possunt, ideoq; monendi restant, ne securitatis veterno se obrui patiantur.

IX. Inter vers. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio*; & Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu Sancto.*

Sancto. Syll. *Opus Spiritus Sancti non est vendicandum hominibus. Regeneratio est Opus Spiritus S. &.* Resp. 1. distinguendo inter Opus Spiritus S. *Mediatum, & Immediatum.* De hoc loquitur Major. Ast ita falsa Minor. Siquidem regenetatio, modo ordinario, nonnisi per certa media peragitur, Spiritui S. subordinata, non opponenda. Quamobrem 2. limitamus prædic. Majoris: Opus Spiritus S. non est vendicand. hominibus ὡσαύτως. Sic conced. totum. Manet Spiritus S. solus regenerationis *caussa Principalis*, verbum & Baptismus *Instrumentalis*, homo *ministerialis*. Hinc licet *neq; qui plantat aliquid sit, neq; qui rigat*, I. Cor. III. 7. per vires physicas, συνεργὸι tamen Spiritus S. largientis incrementum, ibidem appellantur, per vim hyperphysicam, verbo & Sacramentis divinitus communicatam, ut ministri I. Cor. III. 5. quibus horum mysteriorum dispensatio commissa est.

X. Inter vers. 22. *Abraham duos filios habuit, unum de ancillâ, & unum de liberâ;* & Matth. XIX. 5. *Erunt duo in carnem Unam.* Syll. *Quicquid est alienum à primævâ institutione Conjugij, id alienum quoq; censendum à Personâ Abrahami. Polygamia est aliena à primævâ Institut. Conjugij &.* Resp. per distinct. inter Jus, & *factum.* De *Jure* intelligenda Major, & sic arg. concedendum totum. Ut enim legibus, non exemplis judicandum: ita recitatur quidem in nostro textu *factum & exemplum Abrahami* Polygami, mysticèq; explicatur & applicatur, neutiquam verò simul approbatur. Instas 1. Deum tamen disponere ipsum de jure inter liberos polygamorum Deut. XXI. *Non poteris præferre filium dilectæ filio exosæ* (in jure primogenituræ) 2. in mandatis tradi, ut ducatur fratria. Deut. XXV. 3. nuspiam atro carbone notari Polygamiam Patriarcharum. 4. Concessisse Polygamiam Christianis *Lutherum.* R. in promptu, ad 1. tulit etiam Deus legem de *questu meretricio*, in Sanctuarium non inferendo, de furto, de homicidio, rebusq; aliis planè illicitis. Ad 2. ducenda quidem fratria, sed à quo? Cælibe, qui cohabitare viduæ fratris, sive Cognati,

gnati poteſt, ſalvis legibus, quæ de gradibus prohibitis inveniuntur Lev. XVIII. Ad 3. dic, ſodes, ubi διαῤῥήδην reprehendatur vel inceſtuoſus concubitus *Lothi* cum filiabus, vel Conjugium *Jacobi* cum 2. ſororibus contractum, Mandato Divino minimè σύμφωνον? Quomodo tandem indulſit polygamiam *Lutherus?* Hypothetice, ſi è præſcripto legum Judaicarum, inter Judæos, vivendum foret.

IX. Inter eundem verſ. 22. & Gen. XXV. 1. *Abraham aliam duxit Uxorem*, nomine *Cethuram*. Syll. *Q. præter Saram & Agarem duxit etiam Cethuram, is non vixit in Conjugio duarum ſaltem Uxorum. Abrahamus præter Saram & Agar. duxit etiam Cethuram. E.* Reſp. limitando Maj. prædicatum: *Q. præter Sar. & Hag. duxit etiam Cethur. is non vixit in Conjugio duarum ſaltem Uxor. ſc.* quàm ſimultaneo, tam ſucceſsivo. Sic conced. argum. totum. Duxit nimirum *Abrahamus Cethuram* demum poſt *Saræ* obitum: hìc verò Apoſtolus reſpicit tempus, quo *Sara* in vivis adhuc fuit ſuperſtes.

Cap. V.

Resp. Johanne Stephani, Horneburgo Bremensi.

Bipartitum est. Pars prior *exhortatoria*, ut libertate rectè utamur: Posterior *dehortatoria*, ne eadem præposterè abutamur. In priori observanda tum *Propositio*, tum *Confirmatio*. *Propositionem* Apostolus format I. ΧΡ θέσιν: τῇ ἐλευθερίᾳ (Spirituali) ᾗ ἡ χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε ςήκετε; instar strenui Ducis bellici athletas Christianos extimulans,& patefaciens magnitudinem discriminis,cui se exposituri sint *Galatæ*, nì contra Satanam, ejusq; administros, stationem à Supremo Numine sibi demandatam masculè tueantur. Sic *D. Petrus* I. cap. V. 7. *Estote sobrij & vigilate, quia adversarius vester, diabolus, tanquam leo rugiens, circumit, quærens, quem devoret.* 2. κατ' ἄρσιν: καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δελείας (jugo servili,non molli ac levi, quale Christi est, Matth. XI. 30. sed gravissimo durissimoq;,) ἐνέχεσθε: molitiones Pseudapostolorum comparans partim tricis,quibus avicularum pedes facile implicantur, sed difficulter explicantur; partim loris, quibus cornua boum adstringuntur. Ut enim boves,magno labore jugum trahentes,nil loco præmii reportant, quàm pabulum, tandem verò senio confecti, vel viribus exhausti,mactantur: ita quotquot in lege justitiam quærunt, cum labores plusquam Herculeos suscipiant, tum ad lassitudinem usq; operati, miserrimam æternamq; servitutem peccati, mortis, iræ Divinæ, ac diaboli, cujus sunt martyres, contrahunt. Hinc iterum *Petrus* Act. XV. 10. *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus.* *Confirmat* v. 1. triplici *incommodo*. Primum est *Salutis à Christo expectandæ privatio*, v. 2. ἴδε ἐγὼ Παῦλος (Unus ex Apostolis, de quibus *Salvator* Luc. X. 16. *Qui vos audit, me audit*, raptus in tertium cælum, ibiq; edoctus ἄῤῥητα ῥήματα, II. Cor. XII. 2. miraculis plurimis illustrissimus, ideoq; ἀξιόπιστος) λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν περιτέμνησθε, χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει. Cum enim CHRISTUS solus sit ἀρχηγὸς

πρὸ πλειωτὴς τ σωτηρίας ἡμῶν Hebr. XII. 2. ut in ejus acquisitione nullam ferat caussam sociam Es. LXIII. 3. *Calcavi torcular solus, nec est vir mecum:* quicunq; ipsi ullum operis sui meritum adjungunt, & per consequ. officium mediatorium inter se ac Christū partiuntur, his omni fructu Dominicæ Passionis carendum est; Siquidem hi alium sibi fingunt pinguntq; CHRISTUM, quàm literæ Sacræ monstrant, non benignum sc. propitiatorem, Intercessorem, & Consolatorem, nolentem addere afflictis afflictionem, *conquassare arundinem contritam, aut extinguere linum fumigans* Es. XLII. 3. ideoq; suavissimè nos alloquentem Matth. XI. 28. *Venite ad me omnes qui afflicti & onerati estis, & ego reficiam vos:* Cap. IX. 13. *Non veni vocare justos, sed peccatores:* & 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* sed severum vultu Catonem, & iratum Justitiæ vindicem, rejecturum cunctos operum propriorum merita non afferentes. 2. *Legis Condemnatio* v. 3. μαρτύρομαι δὲ πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ (è persuasione absolutæ necessitatis, cultus, aut meriti) ὅτι ὀφειλέτης ἐστὶν ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι, h. e. quòd totius legis observatione obstrictus teneatur. Hanc autem qui suscipit, nec præstare tamen valet, certo certius incurrit maledictionem, denunciatam Deut. XXVII. Inde tantos experiuntur Justitiarii terrores, cumprimis jam in faucibus mortis hærentes. *Vidi multos*, inquit *Lutherus, qui summo studio & optimâ conscientiâ nihil non faciebant, pro pacificandâ conscientiâ, gestabant cilicia, jejunabant, orabant, affligebantur & defatigabantur variis exercitiis corporum, quibus si etiam ferrea fuissent, tamen ad extremum destruxissent ea; & tamen quò plus laborabant, hoc pavidiores reddebantur. Et præsertim imminente horâ mortis, adeò erant trepidantes, ut plurimos viderim homicidas, panâ capitis damnatos confidentius mori, quàm ipsos, qui tamen sanctissimè vixerant.* 3. *Gratiæ amissio*, v. 4. κατηργήθητε (*evacuati estis*, quodo passivū quidem est, sed significationem obtinet hithpael, sive reciprocam & reflexam, ad exprimendum actionem immanentem, terminatam in agente, hoc sensu: evacuati estis â vobis ipsis, ipsi vos evacua-

evacuastis) ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε. τῆς χάριτος ἐξεπέσατε. Deus enim propitius & benignus extra Christum frustra quæritur, nec gratia ullius operis concursum patitur. Rom. IV. 4. *Operanti merces datur* ἀκ χάριν, ἀλλὰ κατ' ὀφείλημα. Et XI. 6. *Si è gratia, non ex operibus, aliàs gratia non foret gratia; Si ex operibus, non è gratiâ, aliàs opus non foret opus.* II. *Suo rectè, judicantium Judæorum exemplo* v. 5. Ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα (positâ metonymicè *spe justitiæ, pro spei objecto*, ut Col. I. 5. *propter spem repositam vobis in cælis, quam præaudivistis in verbo veritatis Evangelij*) licet inter omnes nationes Judæis legum suarum scita custodienda commiserit Deus. Rationem adjicit *à Condit. regni Chr.* v. 6. ἐν γὰρ χριστῷ ἰησοῦ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, οὔτε ἀκροβυστία. Excludit regnum Christi omnem προσωποληψίαν propter opera, quodq; olim vigebat in politiâ Mosis, nunc evanuit præputiatorum & Circumcisorum discrimen, dirutâ macerie, quæ gentes à Judæis in Testam. Vet. sejungebat. Eph. II. 14. Conf. Gal. VI. 15. Col. III. 11. Quid valet igitur? πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, hoc est, instar arboris bonæ, bonos proferens vitæ laudabilis & Christiano dignæ fructus: ne vel aperire officinam nequitiæ Apostolus videretur, vel vanà impunitatis persuasione hanc sectarentur hypocritæ. Profana forent coram tribunali Divino illa postulata: Dn. Judex, adjudica mihi regnum cælorum, quia regiminis secularis fasces gessi: vel: Colloca me in dignitatis cælestis fastigio, quia subsellium inferius occupavi in mundo. Item: Salva me, quia degi in conjugio; vel quia vixi extra conjugium. Unicè dabuntur aures huic petitioni: Serena me clementiâ credentem in filium tuum Unigenitum, redemptorem meum, quia scriptum: *Sic Deus dilexit mundum &c.* III. *Personâ & priori statu Galatarum*, quem ita commendat, ut ejus mutationem mutuo doloris sensu prosequatur v. 7. ἐτρέχετε καλῶς (instadio veritatis iter quasi rapidum, ad præfixum brabæum, uno spiritu & inoffenso pede corripientes) τίς ὑμᾶς ἐνέκοψε (quis tam repentinam remoram,

tam diras durasq; compedes vobis injecit?). τῇ ἀληθείᾳ μὴ πειθεσθε; de quâ CHRISTUS Joh. XVII. 16. *Sanctifica eos, Pater, in tua veritate, verbum tuum est veritas.* IV. *Personâ seductorum,* qui describuntur 1. ab *effectu* duplici. Prior est *Diabolica persuasio.* v. 8. ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς. Multi sunt, in quorum labris Suada q. sesitat, & in quorum caput lauream transtulit: sed attendendum probè, quid suadeat quisq; aut persuadeat. Persuasissimum sibi tenent *ethnici,* se cultu אלוהים & אשתרות, Deastrorum suorum, & Deastrarum, salvos futuros: *Judæi,* Deum sibi fore propitium, ob sacrificia in excelsis & lucis oblata: *Turcæ,* viam sibi ad Paradisum munituras esse superstitiones Mahumethis: *Photiniani,* cum *Calvinianis,* nil proponi ad credendum, quod à captu rationis removeatur: *Anabaptistæ,* per sua insomnia, revelationes cælestes immitti: *Carolostadius,* adminicula sapientiæ cælestis esse, Die Studierung/ die Entgröbung/ die Verwunderung/ die Gelassenheit/ die lange Weile/ die außgestrackte Lust/ & quæ non rerum, aut verborum prodigia? *Pontificij,* sufficere ad salutem fidem implicitam Ecclesiæ, resolvendæ primùm in Doctores, hinc in Episcopos, deniq; in Pontificem Romanum, scrinio sui pectoris omnes Sapientiæ thesauros inclusos gestantem. An verò futurum, ut sola hæc persuasio abunde illos tueatur? Posterior, *totius Religionis corruptio,* v. 8. μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. Quæ gnome etiam extat I. Cor. V. Ut enim fermentum totam conspersionem alterat: sic ἑνὸς ἁπτοῦ δοθέντος τἄλλα συμβαίνει; adeoq; error, qui ab initio parvus est, dum instar gangrænæ paulatim serpit, II. Tim. II. 17. tandem in fine magnus evadit. Scitè ac politè *Hieron. Nolite putare hominum, qui de Judæa venientes aliud docebant, insidias contemnendas. Scintilla res parva est, & pæne dum cernitur, non videtur: sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui quamvis parvus ignis invenerit, mœnia, urbes, latissimos saltus, regiones q; consumit. Fermentum quoq; res modica videtur & nihili, sed cum farinæ conspersum totam massam suo vigore corruperit, in illius vim ttansit omne quod mixtum est. Ita*

&

& doctrina perversa ab uno incipiens, vix duos aut tres primùm reperit auditores: sed paulatim cancer serpit in corpore, & juxta vulgare proverbium, Unius pecudis scabies totum commaculat gregem. Quia tamen non omnem spem abjecerat *Paulus*, invitat denuò *Galatas* ad resipiscentiã v. 10. ἐγὼ πέποιθα εἰς ὑμᾶς ἐν κυρίῳ, ὅτι οὐδὲν ἄλλο φρονήσετε: hoc est, confido fore, ut ad vos redeatis, & quam imbibistis nuncium heterodoxiæ propediem mittatis. 2. à *Consequente, gravissimâ pœnâ*, ὁ δὲ ταράσσων ὑμᾶς βαστάσει τὸ κρῖμα, ὅστις ἂν ᾖ: quacunque fulgeat autoritate, vel opinione sit ad vulgus sanctimoniæ, quæ non defuisse Pseudapostolis, forsan Apostolorum quorundam Discipulis, videtur: ne autem glaucoma objiceret *Galatis*, jam cap. I. præmiserat illa: *Etiamsi Angelus de cælo.* Nimirum grandis reatum supplicii omnes incurrunt scandalorum autores. *Qui unum offenderit è minimis istis qui in me credunt, ei expedit ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris,* inquit CHRISTUS Matth. XVII. 6. Væ igitur illis, qui integram Ecclesiam offendunt, imò corrumpunt! Et quantum est, quod Spiritu Prophetico denunciat vers. 12. ὄφελον καὶ ἀποκόψονται (ab Ecclesiæ consortio) οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς: depellentes à genitali glebâ, libertate, & cælesti cognatione, ut extorres supernis Hierosolymis, incertis vagari sedibus vos oporteat. V. *Personâ suâ*, tot persecutionibus exercitâ, nec tamen animo fractâ. v. 11. ἐγὼ δέ, ἀδελφοί, εἰ περιτομὴν ἔτι κηρύσσω, τί ἔτι διώκομαι; ἄρα κατήργηται τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ. Compescerentur mox æstrum illud indignationis, quo percitos Pseudapostolos tantam in rabiem agunt, meæ de Christo crucifixo, nostramq; promerito libertatem, Conciones, juxta illud Psalm. CXVI. 10. *Credidi, propterea locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis*; si necessariam etiamnum Circumcisionem judicarem. Quia verò nullo rancore, aut tumultu me dimoveri ab Orthodoxiâ meâ patior, & vos in illâ firmiores esse debuissetis. Etenim *in optimo tunc statu est Ecclesia, cum undiq; impetitur vi & dolis à Satana. Contra pessimè habet, cum in summâ pace agit,* dicente *Bernhardo*, & huc accommodante

modante pronunciatum *Hiskiæ*, apud Es. XXXVIII. 17. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Pars *Posterior* 2. absolvitur membris, alterum *generale est*, alterum *speciale*. Illud partim *Suasorium*, partim *dissuasorium*. Dissuadetur 1. *abusus Christianæ Libertatis* v. 13. ὑμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε, ἀδελφοὶ, μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκὶ, (oratione elliptică, supplendâ additamento verbi δίδωτε) Uti *Petrus* monet I. ep. II. 16. μὴ ὡς ἐπικάλυμμα ἔχοντες τῆς κακίας τὴν ἐλευθερίαν. Siquidem non minima illorum multitudo est, qui neglectui bonorum operum libertatem Christianam prætendunt, quod *Judæ* in suâ epist. est *gratiam Dei ad lasciviam transferre.* Ac proinde pugnat cum libertate Christianâ quàm in ἐλλείψει admissio rituum adiaphororum, sub opinione cultus, meriti, aut absolutæ necessitatis obtrusorum, tam ἐν ὑπεροχῇ, quodvis ad arbitrium audendi immoderata licentia. Suadetur contra studium *Caritatis*, idq; erga proximum: ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. Ut enim in Rebusp. Cives quidam donantur immunitate à tributo annuatim pensitando, aut oneribus aliis, non autem licentiâ quodlibet erga quemlibet attentandi: ita Cives Ecclesiæ pollent quidem insigni libertate, non autem facultate ac jure ipsa statim honestatis repagula rumpendi. Quanto verò facilior est magisq; expedita præcepti hujus intelligentia, tantò plus difficultatis parit, magisq; impedita deprehenditur praxis. *Nos frangimus corpora nostra*, inquit *Hieron. Vigiliis, inediâ, labore, & charitatẽ, quæ sola est Domina & Magistra operum, negligimus.* Ratio 1. sumitur à *Naturâ Charitatis* v. 14. ὁ γὰρ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πληροῦται, ἐν τῷ, ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, ὡς ἑαυτόν; ê Levit. XIX. 18. Ut unusquisq; sibi sit ipse optimus commentarius, & mandati hujus interpres, quoad modum amoris, quo proximo obstringimur. Hoc enim ingenio omnes sumus, ut non verbis modò, sed reipsâ opem nobis ferri, si cum inopiâ quadam conflictemur, maximè cupiamus. Parem itaq; προθυμίαν nos etiam debere proximo statuamus, ut nihil intermittatur eorum, quæ saluti ejus & emolumento velificari novimus.

vimus. Est proinde Charitas proximi virtus tum necessaria, valdè, tum Præstantissima, tum Utilissima, tum Jucundissima. Necessaria, quia societatem humanam nil fovet & conservat efficacius, juxta adagium: *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur.* Præstantissima, quia dirigit & moderatur quascunq; actiones virtuosas, iisq;, pro præsenti Circumstantiâ locorum, temporum, & personarum, modum certum & mensuram præscribit. Utilissima, quia incolatum gratiosissimum Dei continuari sinit, & uniendo amantem cum re amata, ultimo q. perfectionis complemento beat. Jucundissima, quia tranquillat animum, & suavissimæ voluptatis thyrso demulcet. II. ab *effectu Oppositi*, incommodis, & pernicie disidiorum. v. 15. εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆτε. Metaphoricâ phrasi, desumptâ à brutis, quæ mutuis morsibus sævire, ad internecionẽ usq;, consueverunt, ut canis canem, felis felem, lupus lupum dilaceret quandoq; ac diripiat: ad indigitandam summam vitii hujus, & ab hoc expectandi damni atrocitatem. Eodem enim damno & *Galatas* affectum iri, prædicitur, nî contentionibus modum statuerint, imò longè deteriori, cum nunquam morsus corporis tantum afferat mali, quantum morsus animæ. Si igitur execremur & detestemur Anthropophagos, humana corpora devorantes, quantò majori abominationi esse debent, qui viperinos dentes aliorum animis intentant. Deinde suadetur *vita spiritualis*, optimum adversus intempestivam licentiam antidotum. v. 16. λέγω δὲ πνεύματι περιπατεῖτε, hoc est, ad præscriptum Spiritus Sancti omnia cogitata, dicta, facta componite, & verbum Dei, ceu cynosuram, lydium q; lapidem, ac perpetuam credendorum & faciendorum regulam, vobis ob oculorum contuitum ponite. Dissuadetur contra *Concupiscentia carnalis*: καὶ ἐπιθυμίαν σαρκὸς οὐ μὴ τελέσητε. Evellenda radicitus erat, & elidenda stirpitus concupiscentia quævis. Ast assurgere proh dolor! ad tantam felicitatem hodie nequimus. Audiamus ingenuam Confessionem

Hiero-

Hieronymi: O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illâ vastâ solitudine, quæ exusta Solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Ille ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpe choreis intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat, in frigido corpore, & ante horam suam cum carne præmortuo sola libidinum incendia bulliebant. Danda igitur opera, ne perficiatur concupiscentia prava, hoc est, ne, excusso Spiritus Sanct. imperio, opere ipso compleantur, ad quæ nos caro, & quicquid supereſt reliquiarum veteris Adami, instigat. Ita v. g. *Princeps concupiscentiam carnis non perficit, cum diligenter facit suum officium, cum bene præest subditis, punit sontes, & innocentes defendit. Ibi caro & diabolus repugnant, & sollicitant eum, ut injustum bellum moveat, & obsequatur suis cupiditatibus. Hic nisi Spiritum ducem sequatur, & verbo Dei rectè & piè monenti eundem officio suo obediat, perficit concupiscentiam carnis,* ait *Lutherus.* Ratio I. depromitur à *Contrariis desideriis carnis, & Spiritus* v. 17. Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκὸς, ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις, ἵνα μὴ ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε. Grassante sive λιμῷ, sive λοιμῷ, renatus querelas suas in sinum Dei effundit: Caro autem orantem interpellat, & dubitationum fluctibus, de paternâ exauditione, immergit, quasi diceret: Quid invocas Deum, aures ille ad petitionem tuam claudit, nec sortientur promissiones rem comitem, forte nec est, qui quæ nos gerimus agimusq; sive patimur, audiat videatq; Deus. Cujusmodi impias & blasphemas cogitationes non diffitetur Poëta ethnicus, ita canens:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Gravissimè *August.* super Ps. 75. *Indicitur tibi bellum, non solùm adversus suggestiones diaboli, sed adversus teipsum. Quomodo adversus teipsum, adversus tuam consvetudinem malam, & adversus vetustatem vitæ tuæ malæ, quæ trahit te ad solitam consuetudinem, & refrænatur à nova. Indicitur enim tibi quædam nova vita, & tu vetus es; novitatis gaudio suspenderis,*

spenderis, vetustatis onere prægravaris, incipit tibi esse bellum adversum te: sed ex quà parte tibi displices, jungeris Deo; & ex quà parte jam jungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te, quia ille tecum est, qui omnia superat. Attende quod dicit Apostolus: Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Unde mente? quia displicet tibi vita tua mala. Unde carne? quia non desunt suggestiones, & delectationes malæ: sed ex eo quod mente jungeris Deo, vincis quod in te non vult sequi. Origenis autem glossema: *Caro concupiscit adversus Spiritum, hoc est, historia, & Scripturæ carneus, sive literalis intellectus, contra allegoriam, & Spiritualem doctrinam repugnat: Spiritus autem adversus carnem, id est, sublimiora dejectis, umbræ veritas refragatur, & carneus scripturæ sensus ostendit, nos non esse in nostrà potestate positos legis implendæ, cum etiam, si velimus literam sequi, impossibilitas non admittat:* præterquam quod veris misceat falsa, ἀδυναμίαν implendi legem ad sensum Scripturæ literalem, in oppositione ad allegoricum, reducendo, adeoq; cum contrariorum contrarii sint effectus, ab allegorico, seu Spirituali, deducendo potentiam legi ex asse satisfaciendi, à mente Apostoli prorsus abludit, & vanitatem curæ omnia in allegorias convertendi, quæ sollicitos veterum nonnullos tenuit, luculentissimo documento comprobat. II. ab *Utili* v. 18. εἰ δὲ πνεύματι ἄγεσθε, οὐκ ἐστὲ ὑπὸ νόμον. Quisquis regitur à Spiritu libertatis & adoptionis, spontaneo motu in viis mandatorum Divinorum ambulat, nec metu legis bene agit, adeoq; à legis coactione & maledictione liber ac immunis vivit. Isq; cum per fidem à Spiritu S. excitatam Christo constanter adhæreat, ut non saltem à liberis, uxore, rebusq; aliis in mundo carissimis distractus, sed capite etiam à cervice revulso, à Salvatore tamen suo se divelli non patiatur, tum cupiditates pravas seriò compescit & refrænat. Hinc *speciatim* recensentur tum fugienda *opera* quædam *carnis*, tum consectandi *fructus Spiritus*. Opera *carnis* numero quidem sunt plurima, sed includi tamen, ordinis gratiâ, tribus possunt classibus. Prohibentur enim alia præcepto Decalogi primo, alia quinto, alia sexto. Sexto

1. *adulterium*, de quo v. 19. φανερὰ δέ ἐστι τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς, ἅτινά ἐστι μοιχεία, vel tori alieni violatio, vel deturpatio sui, cui capitis pœna constituta Levit. XX. 10. 2. πορνεία, commixtio personæ solutæ cum solutâ. De quâ I. Cor. VI. 18. *Omne peccatum, quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Et Hebr. XIII. 4. *fornicatores & adulteros judicabit Deus.* Conf. Eph. V. 31. 3. ἀκαθαρσία, omnis omne genus libido, peccatum etiam Sodomiticum complectens. 4. ἀσέλγεια, libidinis genitrix, sive incessu se prodat, sive oculis, sive gestibus, reprehensa in Judæis Jer. V. 8. 5. μέθαι, quas *Basil. M. Dæmonem* vocat *sponte in animum hominis admissum, eumq; obsidentem, & omnem virtutem inde extirpantem;* valdè tamen familiares Germanis. Unde in illos ludunt Itali:

Germani possunt cunctos tolerare labores,
O utinam possent tam bene ferre sitim!

Quibus resp.

Ut nos dulce merum, sic vos venus improba vexat,
Lex posita est Veneri, Julia nulla mero.

6. κῶμοι, contra quos concionatur Salvator Luc. XXI. 34. Primo, 1. εἰδωλολατρεία, v. 20. cum vel cultus religiosus defertur creaturis, vel non colitur eo modo Deus verus, quem ipse nobis præscripsit. *Jejunium, Cilicium, sanctissimæ actiones, regula, & tota vita Carthusianorum, quorum tamen ordo rigidissimus est, sunt opera carnis, imò idololatria. Quia imaginantur se sanctos esse, & salvari per Christum, quem ut severum Judicem formidant, sed si regulam suam observaverint,* scribit *Lutherus.* 2. φαρμακεία, vel *Magia Dæmoniaca,* quæ vel *Effectoria,* admiranda opera realia, auxilio Diaboli, producens; vel *Præstigiatoria,* opera quidem miranda, sed tamen apparentia saltem, vi diabolicâ, edens; vel *Divinatoria,* res abditas, ê diaboli suggestione, cognoscens & prædicens, cujus species ἱερομαντεία, ex inspectione immolandarum hostiarum, πυρομαντεία, è consideratione flammæ ardentis, ὀρνιθομαντεία, ex observatione avium, γαιομαντεία, è terræ motibus, scissurâ,

tu-

tumore, & crepitu, ὑδρομαντεία, ex aquæ fluxu & refluxu, coloribus itidem & tempestatibus; ἀερομαντεία, ex impressionibus aëreis, coloribus nubium atque spectris; κληρομαντεία, è jactu usuq; sortium; ὀνειρομαντεία, ex insomniis; νεκρομαντεία, ex apparitionibus mortuorum; λεκανομαντεία, è lanceis aureis, aut argenteis, pelvi aquâ implêtæ impositis; καταπτρομαντεία, è nitidis tersisq; speculis; κρυσταλλομαντεία, è crystallis politis & dæmone obsessis; δακτυλιομαντεία, ex annulis ad certos cæli positus confectis, & diabolicis fascinis consecratis; ὀνυχομαντεία, ex ungue pueri oleo conspersо, soliq; obversо; & κοσκινομαντεία, è cribro, ad nominum suspectorum recensionem, res abditas & futuras patefaciens. In hæc scelerum portenta ista eliduntur fulmina comminationum Divinarum Ex. XX. 18. *Veneficos non patieris vivere.* Levit. XX. 27. *Vir, sive mulier, in quibus Pythonicus, vel Divinationis fuerit Spiritus, morte moriatur.* Deut. XVIII. 11. *Non inveniatur in te qui ariolos scisscitetur, qui observet somnia & auguria, nec incantator, nec qui Pythones consulat, & quærat à mortuis veritatem: omnia hæc abominatur Dominius &c.* Quinto 1. ἔχθεαι, per quas unus est alteri sudes in oculis, ut *Caino Abel* Gen. IV. 8. *Achabo Micha* II. Reg. XXII. 8. 2. ἔριδες, concertationes verborum, quæ cumprimis collidere superbos consueverunt. Prov. XIII. 10. 3. ζῆλοι, nempe mali, conjuncti cum odio proximi: qualibus fervebant, erga *Danielem*, aulici *Darij*, Dan. VI. 4. erga *Mosen, Miriam & Aaron*, Num. XII. 1. 3. θυμοὶ, temerè concepti, ob injuriam nobis privatim illatam, de quibus Prov. XII. 16. *Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat injuriam, prudens est. Nautæ præsentientes tempestatem anchoris firmant navem: ita priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus est animus, & in diversum nitendum,* ait *Plut. At* sæpissimè:

Iras neq; Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,
Nec sævus ignis, nec tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu, ut canit *Horat.*

4. ἐχθεῖαι,

4. ἐριθεῖαι, cum quis valdè propendet ad contradicendum, & ſtomacho, ut loquitur *Hieron. delectatur alieno, & muliebri jurgio contendit, & provocat contendentem.* 5. διχοστασίαι, altercationes civiles, quibus fora & ſubſellia Judicum perſonant homines perverſi Prov. XVI. 26. & XVIII. 6. 6. αἱρέσεις, opiniones manifeſto Dei verbo adverſas mordicus propugnantes. 7. φθόνοι, dum

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro,
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Quod vitium juxta πολυθρύλλητον veterum, *naſcitur in cœnobiis, nutritur in aulis, & moritur in Xenodochiis.* 8. φόνοι, cum violentæ manus alteri injiciuntur, quomodo

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Atq; horum vitiorum omnium & quæ ὅμοια τούτοις diſſuaſorium argumentum ſumitur ab eventu v. 21. ἄπερ λέγω ὑμῖν, καθὼς καὶ προεῖπον, ὅτι οἱ τοιαῦτα πράσσοντες βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν. Conf. Eph. V. 5. *Cornelius à Lapide: Mitior eſt communis Doctorum ſententia, docetq; comeſationē & exceſſum in comedendo non eſſe peccatum mortale, niſi qvis graviter ſanitatem lædat, & gravem morbum incurrat: aut niſi qvis ſponte ita ſe ingurgitet, ut vomere cogatur, vel certè ſi ſatur & repletus, ea mente ac fine vomat, ut rurſum ſe ingurgitare poſſit.* Immitis ergò & ſuffragio indignus Apoſtolus, nî longè oculatiores Papiſtæ uberiorem correctionis limam adhibeant, & indeterminatè dicta, quo pollent Scripturæ Magiſterio, certæ conditionis additamento reſtringant ac determinent. Scilicet! Ceterum ſectandi *fructus ſpiritus*, vel *Conſequentia* ſunt *ſalvificæ fidei*, vel *effectus*, nempe *virtutes* vocationem noſtram ornantes. *Conſequentia fidei* ſunt I. *Gaudium* v. 21. ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ πνεύματός ἐστι χαρὰ non *ſecularis* illa, cujus autorem ſacrum & alibilem liquorem laudat *Horat.*

Albus ut obſcuro deterget nubila cælo
Sæpe notus, nec parturit imbres
Perpetuos: Sic tu ſapiens finere memento
Triſtitiam vitæq; labores

Molli

Molli, Plance, mero: Et de qua *Ovid.*

Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris:

Sed *Spiritualis*, quà inter maximarum etiam adversitatum ictus & fulmina Christiani perfunduntur, ad exemplũ Apostolorum exultantium, quòd digni judicati essent, qui ob nomen Jesu insectationes perpeterentur. Act. V. 41. Et ad hujusmodi gaudium subinde nos Scriptura exstimulat, ut Zach. IX. 9. *Exulta filia Zion, jubila filia Jerusalem.* Psalm. XXXI. 8. *Exultabo in misericordia tua.* Phil. IV. 4. *Gaudete in Domino semper.* Luc. X. 20. *Gaudete, quod nomina vestra in cælo adscripta sint.* 2. εἰρήνη, tum interna mentis, in clementiâ Dei securæ, tum externa, colenda cum hominibus aliis, quâ *Ciceroni non ea tantùm, quibus sensum Natura dedit, sed tecta etiam & agri lætari videntur. Virtus*, fidei effectus, vel *Universalis est*, vel *Particularis. Universalis*, ἀγάπη, totiꝰ decalogi complexa epitomen Rom. III. 8. Col. III. 11. Particularis vel ad v. pertinet præceptum, vel ad VI. vel ad VIII. Quinto requiritur 1. μακροθυμία, dum non invigilamus occasioni injurias nobis illatas ultum eundi, quin potius patienti stomacho eas dem concoquimus. Sicuti *Julium Cæsarem*, ut ut Magnanimum sine Christo, & ex alio principio, quàm speciali gratiâ Spir. Sancti, propriâ renatorum, naturali scilicet dictamine rectæ rationis, deprædicat *Cicero, quod nihil oblitus fuerit nisi injurias.* Et *Salustius Romanos*, sctibit, *Remp. suam è parvâ magnam & opulentam fecisse, quod acceptâ injuriâ ignoscere maluerint, quam ulcisci. Phocion* quoqꝫ, si *Plutarcho* credimꝰ, cum poculũ veneni jam præberetur, rogavit filium, ne innocentiã ejus ulciscceretur. 2. χρηστότης, beneficia amplians, & odia restringens. 3. ἀγαθωσύνη, ingenuus candor, cum neqꝫ plus justo quisquam sibi arrogat, nec ob felicitatis munera, quibus circumfluit, cristas erigit. 4. πραότης, moderans & intra gyrum pietatis ac honestatis coërcens iram. Exempli lucidissimi facem præfulget *Salvator* Matth. XI. 29. clamans: *Discite à me, quia sum mitis & humilis corde.* Quamobrem de *D. Petro* refertur, semper illi lachrymas elicuisse recordationem

suavitatis, quà in familiari conversatione Salvator usus fuerat. Nec invenustam hujus virtutis imaginem Natura ipsa monstrat in Leone, de quo *Ovid.*

Magnanimo satis est hostem prostrasse Leoni,
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.
At lupus & tristes instant morientibus ursi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Sexto ἐγκράτεια, quæ Scripturæ Phrasi, castitatem notat non tantùm vitæ cælibis, verum etiam conjugalis. Quomodo Apost. Episcopum efflagitat ἐγκρατῆ Tit. I. 8. & tamen *Unius Uxoris maritum* I. Tim. III. 2. *liberos habentem subditos in omni castitate* v. 4. *Cornelio à Lapide Græca hîc, uti & alibi, decurtata sunt, quod in Græco desit, Patientia, modestia, castitas.* At nondum evictum dedit, quod legi hæc in textu authentico debeant, nec in latino redundent. Octavo, πίστις, nempe politica, servans pacta, de quà *Ovid.*

Non bove mactato Cœlestia Numina gaudent,
Sed quæ præstanda est, & sine teste, fide.

Ratio I. depromitur ab *Utili* v. 23. κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος. Etenim lex tantùm damnat legirupas. Quia igitur hujusmodi fructus Spiritus cum lege adversâ fronte nequaquam pugnant, quinpotius bellè conspirant, nec maledictioni legis obnoxii evadunt. Ac licet à debitâ perfectione longissimè absint, grati tamen & accepti Deo accidunt propter Christum. Rom. VIII. 1. II. à *Proprio Christianorum Officio.* v. 24. οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ, τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις: hoc est, *non sinunt regnare peccatum in mortali corpore, ut obediant concupiscentiis ejus*, interprete Apostolo Rom. VI. 8. sed efferentibus sese pravis affectibus & cupiditatibus frena injiciunt, ne cæco impetu in exteriora delicta ruant. Quemadmodum enim illi, qui cruci affixi sunt, retinent quidem manus & pedes, sed ita, ut neque hi, neque illæ suum præstare officium queant: Sic Christiani carnem quidem adhuc habent, ejusq; suggestionibus malis patent: ast ipsi crucifixi carnem tamen sub dominio Spiritus ligatam

gatam domitamq; tenent. Supereſt *Concluſio* v. 25. εἰ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν. Non ſatis habendum jactaſſe regenerationem Spiritualem, & mutationem in melius: ſed ipſo etiam opere, & inculpatâ vitæ ſanctitimoniâ in aprico illa ponenda eſt. Projectâ algâ & caſſâ glande vilior cenſendus Chriſtianus μέχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ τοῦ πράττειν. Chriſtianus bonus, vereq; renatus eſt, *qui pauca quidem verba de virtute, multa verò exempla juſtorum & honeſtorum factorum ex ſeſe profert*, ut hoc de ſuo nobis largiatur *Nazianz.*

APHORISMUS

Διδακτ. I. *Libertatis, quam Salvatori noſtro debemus, terminum alterum præbet Lex, alterum Oppoſitum Legis, Peccatum.*

Lex, cui exempti per Chriſtum ſumus v. 1. vel *Divina* eſt, vel *de Divino cultu humana*. *Divina* porro tàm *perpetua*, ſeu *moralis*, quam *temporalis*, ſeu *ceremonialis*, & *forenſis*. Ab *hac* liberati ſumus ἀπολῶς, quà omne omninò obſequii debitum Gen. XLIX. 10. Col. II. 16. Synagogâ & Politiâ Judaicâ jam cum honore ſepultis. Ab *illâ* autem κατὰ τι, quat. eſt *jugum* puſillis noſtris facultatibus intolerabile Act. XV. 10. *ſervitutis*, ſive quat. in *ſervitutem generat*, Gal. IV. 24. Ut ceſſet hodie partim *obligatio* ad perfectam obedientiam, partim *ſententia condemnatoria*, cujus fulmine omnes ſui transgreſſores percutit Rom. VIII. 1. partim *Violenta coactio*, quà obedientiam vel invitis extorquet, Luc. I. 74. Pſ. CX. 3. *Traditiones*, ſeu *leges humanas*, externum Dei cultum, ut omnia πρέπον καὶ εὐσχημόνως in Eccleſiâ peragantur, temperantes, etſi temerario auſu abrogare nefas ſit; tamen nec obtrudere aliis, ut per ſe, in foro Conſcientiæ, obligatorias, nec recipere licet Matth. XV. 9. Quod quantò minus obſervatur à *Pontificiis*, ſupra modum rigidis & ſuperſtitioſis exactoribus ſuorum rituum, ut æternum gehennæ ſupplicium conſtituant, ſi quis illos neglexerit, graviusq; ac ſeverius animadvertant in legum Romanenſium prævaricatores, quàm Divinarum: ita uberem fructum laudis tulit Catholicorum

Con-

Constantia *standi in libertate in quam à Christo se assertos* noverunt, ê v. 1. dum inter alias sanctiones Pontificias Calendarium quoq; Gregorianum repudiaverūt, non quod perfrictà fronte negarint, calendarium hoc veteri, seu Juliano esse correctius; sed quod Pontifex insignem autoritatem & Jurisdictionem in nostras Ecclesias, severisimè, sub pœnà excommunicationis, imperatâ calendarii correctioris susceptione, sibi arrogarit, idq; egerit potissimum, ut aut Majestatem Papæ nostrates iterum agnoscerent, aut grandis inobedientiæ erga Imperatorem suspicione onerarentur: atque adeò correctio Calendarii Gregoriani quàm *imperfecta*, tam *illegitimè* attentata sit. *Imperfecta*, quia non ad æram usq; Christianā, sed ad tempus duntaxat Concilii Niceni extenditur. *Illegitima*, quia emendatio Calendarii, ut opus mixtum, Ecclesiastico Politicum, autoritate Imperatorià suscipi, & perfici debuisset, adscitis in laboris societatem nostris etiam Ecclesiis. Liberati adhæc etiam sumus ab *Opposito* legis, *peccato*, sive *culpam* spectemus, sive *pœnam*. *Culpa* domicilium quidem, hac in mortalitate, etiam renatos tenet, ac habenas spiritus excutere nunquam non annititur, attamen haut enititur, nec quod affectat imperium usurpat, sed viribus suis fracta & domita Spiritui subjicitur, ut *crucifigatur caro cum concupiscentiis* v. 25. *Pœnam* Christus sustulit *factus maledictum* Gal. III. 13. *vulneratus propter iniqvitates nostras, & attritus propter scelera nostra* Es. LIII. 5. adeoq; facto prosecutus promissionem Os. XIII. 14. *Ero tibi, mors, venenum, & tibi pestis, inferne.*

2. *Dum Galatarum qvosdam gratiâ excidisse Paulus attestatur, iterum apertissimè docet, fidem Justificantem neutiqvam esse inamissibilem.*

v. 4. *Evacuati estis à CHRISTO, qvicunq; in lege justificamini, gratiâ excidistis.* Soli tenebras offundit *Wendel.* exerc. 121. §. 2. negando, *simpliciter Paulum dicere aliqvos à gratia excidere, sed cum conditione, si per legem velint justificari: atqvi conditionalem nihil affirmare, nisi posita & concessa conditione: qvamvis conditio implicata sit, non expressa, qvod prorsus sint* ἰσοδυναμοῦντα: *A gratiâ excidunt, qvi per legem*

volunt

volunt justificari, &, si per legem vultis justificari, à gratia exciditis: deinde contendendo *à gratia excidere, Paulo heic non esse à fide justificante deficere, sed doctrinam gratiæ, seu Evangelij repudiare.* Describit nimirum Apostolus *Galatas*, ab eo actu, de quo ipsi satis superq; constabat, conatu quærendi Justificationem in lege, & de talibus Subjectis prædicatur, quod gratia excidant. Nulla igitur à conditione sententiam suspendit; sed propositionem format categoricam, quâ omnino simpliciter affirmatur prædicatum inesse subjecto. Implicita conditio figmentum manet *Wendelini.* Unde autem patet gratiam hoc loco non significare gratuitum Dei favorem & benevolentiam, sed doctrinam Evangelii? Hîc tenet ἐχεμυθίαν Pythagoricam *Wendelinus.* Probatum ex adverso pridem nostrates invictis argumentis dederunt, vocabulo *Gratiæ*, quod aliàs non carere ambiguitate ultrò fatemur, iis in locis, in quibus de Justificatione & Salvatione agitur, ut hîc, nil nisi φιλανθρωπίαν Dei, sive generalem, quâ universum complectitur genus humanum, sive specialem, propriam credentium, designari, potissimum I. ab *additamento* particulæ δωρεὰν Rom. III. 24. 2. ab *adjuncto*, æternitate, II. Tim. I. 7. 3. à *Synonymis*, & interpretamento periphrastico, dum explicatur jam per *misericordiam*, Hebr. IV. ult. Psalm. LI. 1. Matth. XVIII. 33. Rom. IX. 18. jam per *benignitatem*, Tit. III. 4. 5. *Ravanella Wend.* contribulis, in Biblioth. S. part. I. p. 689. putat *Gratiam Dei* accipi pro *Evangelio*, seu doctrina Evangelii, ejusq; professione, Hebr. XII. 28. *Itaq; regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus, placentes Deo cum metu & reverentia.* II. Cor. VI. 1. *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei receperitis.* Eph. III. 2. *Audivistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis.* Col. I. 6. *Cognovistis gratiam Dei in veritate.* I. Petr. V. 12. *Contestor hanc esse gratiam Dei, in qua statis.* Jud. v. 4. *Subintroierunt quidam homines Gratiam Dei transferentes in luxuriam.* Act. XIII. 43. *Paulus & Barnabas suadebant Judæis: ut permanerent in gratiâ Dei:* quæ vocetur *Gratia Christi* II. Pet. III. 18. *Crescite in gratia,*

tia, & in cognitione Domini nostri & & Salvatoris Jesu Christi. Gal. I,6. *Miror quod tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium.* Sed uti de posterioribus duobus Oraculis *Ravanella* addit: *Ubi tamen per gratiam Christi intelligi potest salus nobis oblata in Christo:* ita cedò rationē, per quam nobis integrum non sit pariter superiora de salutiferâ clementiâ Dei explicare. An *hanc* habere, qui regnum immobile T. N. susceperunt: *hanc* recepisse *Corinthios: hanc* dispensasse *Paulum,* vel patefecisse *Ephesiis: hanc* cognovisse *Colossenses:* in *hac* stare fideles omnes: *hanc* ad luxuriem transferre male feriatos homines, ad resipiscentiam illos invitantem: Rom. II. *hanc* commendatam fuisse credentibus *Judæis,* ut ejus constantiam retinerent, inficias ibimus?

3. Actus fidei duplex est, ille internus & formalis, quo justificat, hic externus & effectivus, quo apud homines se manifestat.

De actu *externo* verba facit v. 6. *In Christo Jesu neq; Circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides per charitatem efficax;* depingens fidem, ut Charitatis fontem, & arborem bonorum operum fructibus lætam. Cum enim ipsa se arcanis cordium thalamis contineat, infallibiter & immediatè soli Deo nota, II. Tim. II. 19. Charitas quasi fores aperit, ut hominibus quoque ad sui notitiam indicium aliquod relinquat, Jacob. II. 18. *Monstra mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego tibi monstrabo fidem meam ex operibus meis.* Quem in finem Hebr. XI. prolixus texitur Catalogus gymnasmatum infucatę vivæq; fidei. Etsi autem, quoad ὑπαρξιν, fides & Charitas tam adamantimo vinculo cohæreant, ut nullum admittant divortium; tamen nonnisi *spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus* v. 5. omnes autem *excludi oportet Christo, & gratiâ excidere, qui in lege justitiam quærunt* v. 4. Ac proinde multùm differunt hæ enunciationes: *Fides QUÆ per charitatem est efficax, justificat:* Et *fides, QUA per charitatem efficax est, justificat. Illa* absoluta est & descriptiva Subjecti, veritatiq; consentanea: *Hæc* exponibilis, & quidem restrictiva, planeq; falsa.

4. Cum

4. *Cum articuli fidei concatenatà ſerie cohæreant, error circa illos ab initio parvus, in fine magnus evadit.*

Quemadmodum *paululum fermenti totam maſſam fermentat* v. 9. Exemplo ſint hodierni Operiſtæ, *Pontificij*, quorum errores præcipuè in locum de Juſtificatione, quem Epiſtola hæc primariâ deſtinatione declarat, velut in vaſtiſſimam lacunam, confluxerunt. Docent nimirum miniſtri Antichriſti (verba do Doctiſſ. *Matthiæ Flacij Illyrici*) Chriſtum juſtificare nos tantùm prima vice in baptismo: ibi nos indui albâ veſte: poſt quod tempus ſi denuò peccaverimus, amiſiſſe nos ajunt candidam illam ſtolam: navem, id eſt, vim ac beneficium Baptismi ac Chriſti à nobis fractam & amiſſam eſſe: Quare tabellam pænitentiæ arripiendam, ſi evadere ex naufragio velimus: Sicq; nos ab Evangelio ad legem traducunt, dicentes, oportere nos habere ſufficientem pro magnitudine peccatorum contritionem, (quod impoſſibile eſt) ſufficiententem omnium peccatorum & circumſtantiarum confeſſionem (quod itidem impoſſibile) ſufficientem deniq; ſatisfactionem: Chriſtum quidem ſatisfeciſſe pro peccatis ante baptismum: pro peccatis verò poſt baptismum debere nos ipſos ſatisfacere. Non poſſe autem id fieri per obedientiam Decalogo præſtandam: nam eam nos alioqui debere, facienda igitur eſſe opera non debita, nec à Deo præcepta. Atq; ita ab Evangelio & à lege ad Mandata hominum Eccleſiam Chriſti transferunt, ut ſunt cælibatus, voluntaria paupertas, peregrinationes, battologiæ prolixarum precularum, flagellationes, jejunia, aliæq; voluntariæ, ſeu ſua ſponte ſuſceptæ cruciationes & caſtigationes corporis. Quod ſi nos ipſi ſatisfacere & hæc præſtare non poſſumus, aut etiam nolumus, nihil referre, modò adſit pecunia: alios pro nobis ſatisfacturos: adeſſe etiam Sanctiſſimum Patrem Papam, vendentem pleniſſimas indulgentias & ampliſſimas bullas: adeſſe Sanctos (Franciſcum, Dominicum, infinitos alios) quorum intercesſione à Monachis emtâ ſalvari poſſimus: adeſſe va-

rios Spirituales, vendentes missas & exequias, quibus næniis haud dubiè sint nos ex purgatorio erepturi: adesse multos greges monachorũ & monacharũ, qui habeant innumera opera supererogationis. Ea si nobis vendant, in nosq; ea effundant, non esse ullum dubium, quin protinus simus rectà in cælum evolaturi. Quinetiam induere cucullum, vel ante vel post mortem mundare peccatores, ut primum eos baptisma mundaverat: adesse aquam & salem magicè sacrata, quæ deleant delicta, fiant aspersis salus, & vita: adesse cereos, Agnos Dei, sacratas herbas, candelas, & mille alia remedia & vias evadendi inferos, & intrandi regnum cælorum: Ultimum remedium esse purgatorium ignem, in quo cum satis excocti, & purgati, & ab omni pondere sordium mundati erimus, necessariò simus in regnum cælorum subvolaturi.

Ἔλεγκτικ. *I. Impedimenta quæ in cursu fidei & pietatis nobis objiciuntur, nequaquam proficiscuntur à Deo, sed, præter propriæ carnis instinctum, originem trahunt aut à suggestionibus diaboli, aut à persuasionibus impiorum hominum.*

Removet culpam à Deo v. 8. *Persuasio hæc non est ex eo, qui vos vocavit*, utpote qui κακῶν ἀπείρας ἐστ. Jac. I. Substituit verò in hanc *turbatores* tranquillitatis Ecclesiasticæ v. 10. Contra *Calvinianos*, quorum alii Deum peccati autorem fingunt *explicitè*, ut *Calvinus, Zanchius, Zwinglius, Beza, Piscator*; alii *implicitè*, ut plerique recentiorum, ui hypotheseos, de fatali & absolutà necessitate, quam actionibus promiscuè omnibus Divina Providentia imponat.

2. Renati hac in vità perpetuam experiuntur luctam carnis & Spiritus. Perfectioni renatorum plus justo pridem tribuerunt hæretici multiplices. Jam seculo 3. *Manichæi* homines quosdam finxerunt è Materià lucis & à Principio bono productos, qui non sint capaces peccati, nec peccare possint, utut maximè velint. Sec. 4. *Jovinniani* delirarunt, hominem verè baptizatum non posse amplius peccare, &, si forte peccet, non fuisse tinctum, nisi

nisi aquâ. *Hieron.* Lib. 7. contra Jovin. Sec. 5. *Pelagiani* somniarunt, non debere tantùm, sed posse etiam hominem in hac vitâ sine omni peccato vivere *August.* lib. 2. de peccat. merit. c. 7. Sic *Pontificij* etiamnum peccata venialia in renatis reliqua statuunt talia esse per se & suà Naturà, absque ullo respectu ad misericordiam Dei, & renatorum statum, cum non fiant contra, sed saltem præter legem Divinam, nec Univoco quodam genere cum ceteris peccatis comprehendantur. *Bellarm.* lib. 1. de amiss. grat. c. 9. *Photiniani* pariter graviter Nostrates, quos vocant SündChristen / accusant', quod per doctrinam de peccato Originis, ejusq; reliquiis in carne nostrà adhuc hærentibus, de Satisfactione Christi pro peccatis generis humani, de reditu ad gratiam per pænitentiam etiam post gravissima peccata, peccandi libidinem & securitatis veternum in animis hominum alant, in lib. cui titulum fecerunt Examen, Welche die sind die da verleugnen JEsum den HErren. *Anabaptisticum* quoq; παράδοξον est: Thue was du wilt / wenn du nur gläubest / so ist es keine Sünde. Tandem adimit renatis peccandi potentiam *Weigel.* Postill. part. 2. p. 60. & part. 3. pag. 44. Dial. de Christ. p. 25. & 35. Confutat hos autem ad unum omnes vers. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, hæc sibi opponuntur, ut quæcunq; vultis, non faciatis.* Cui planè consonat, quod legimus Rom. VII. v. 14. *Lex est Spiritualis, ego autem carnalis, venundatus sub peccato. 15. Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi, illud facio. 18. Scio quod in me, hoc est, carne meâ, non habitet bonum: Nam velle adjacet mihi, sed perficere bonum non invenio. 23. video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. 24. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nimirum non compatitur quidem regeneratio, tanquam ἀνάκτισις quædam & ἀνάπλασις, peccandi studium Gal. II. 17. vel peccata regnantia Rom. VI. 2. 11. II. Cor. VI. 15. 16. Efficimur enim per regenerationem filii Dei. Joh. I. 12. Ubi autem illa υἱοθεσία, ibi etiam Spiritus S. inhabitatio Gal. IV. 6. Ubi hæc, ibi animadvertuntur

 fru-

fructus Spiritus, fructibus carnis oppositi Gal. V. 1. 7. Complectitur regeneratio veram in Christum fidem Gal. III 26. Eph. III. 17. fides autem per Charitatem semper est efficax Gal. V. 1. Nec peccat unquam renatus, si reduplicativè & formaliter spectetur, quatenus renatus est, & ductum Spiritus S. sequitur, I. Joh. III. 9. & V. 18. adeoq; in Christo manet I. Joh. III. 6. Ceterum si protervè quisquam calcem in Spirit. S. jaciat, fieri potest, ut qui in Christo fuit, in illo non maneat, sed per peccata à Salvatore separetur, ipso teste Joh. XV. 5. 6. *Qui manet in me, hic fert fructum multum. Si quis non manserit in me, ejectus est foràs sicut palmes, & exaruit.* Hinc severissimum admonitionis protelum extat Joh. V. 18. *Qui natus est ex Deo,* Τηρεῖ ἑαυτὸν, *& malignus non tangit eum.* Si enim renatus cautè sibi cavere teneatur ab imposturis Satanæ, ne ab hoc transversus abripiatur, utiq; peccata renati nequaquã sunt cum τοῖς ἀδυνάτοις sub idem vexillum vocanda. Ut inchoatur saltem hac in vitâ regeneratio, consummanda autem restat demum in futurâ: sic in seculo præsenti primitias modò Spiritus nobis confert, quæ nova quidem accessione in bene proficientibus augentur, sed ad ultimum perfectionis complementum hîc non assurgunt, quinpotius semper illis cohabitat caro, ἐχθρὸς ille ἄσπονδος, molitionibus è diametro contrariis addictus.

3. Multùm etiam differt lucta carnis & Spiritus, à pugnà rationis & appetitus sensitivi.

Ad catalogum quippe operum carnis non tantùm referuntur *adulterium, fornicatio, immunditia, homicidia, ebrietates, comessationes, iræ, contentiones,* quæ partim ad τὸ θυμικὸν, partim ad τὸ ἐπιθυμητικὸν spectant, verum & *hæreses, dissensiones, idololatria &c.* quæ ad τὸ ἡγεμονικὸν, seu supremam animæ facultatem pertinent, sicuti Φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεὸν pronunciatur Rom. VIII. 7. Contra *Pontificios,* quibus lucta Spiritus & carnis coincidit cum pugnâ rationis & appetitus sensitivi, in quo solo peccatum etiam originis collocant; Nec non *Anabaptistas,* per carnem intelligentes

telligentes corpus, per Spiritum animam, & illud quidem peccato infectum, hanc autem ab omni peccatorum contagione puram arbitrantes.

Παραινετικ. *I. Nullâ commodi terreni spe, nulloq; incommodi metu adduci quisquam debet, ut vel minimâ ex parte Doctrinam Christianam aliorum placitis attemperet.*

Apostolo si illud libuisset, vel licuisset potius, quam facili negocio, tot tantarumq; persecutionum nimbo cervice subtractâ, aura serenior affulsisset? Tantum verò abest, ut artificium hoc scenæ inserviendi, vel declinandi scandalum crucis, duxerit exercendum, ut satius judicarit vel præpilatis hastis objici, eaq; pati quæ nemo unquam Cynicorum, aut patientiam professorum sustinuit, quàm â sinceritate Religionis vel latum unguem recedere. v. 11. Annon igitur nostrarum quoq; partium erit, ad exemplum isthoc Christianæ Constantiæ omni de prędicatione majus, in rem conferre monitum Salvatoris Matt. X. 28. *Ne metuatis eos qui occidunt corpus, sed animam occidere non possunt: timete autem magis eum qui corpus & animum perdere potest in gehennâ.*

2. *Cultura Caritatis efficacissimo commendatur argumento, dum Summa quædam & epitome legis constituitur.*

v. 13. *Per Charitatem servite vobis invicem. Nam omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Conf. Rom. *XIII.* 10. πλήρωμα νόμε ἡ ἀγάπη. I. Tim. I. 5. *Finis præcepti charitas de corde puro, & fide non ficta.* Col. *III.* 14. *Vinculum perfectionis charitas.* Ut enim Zona fluxam & sinuosam vestem aptè colligat: sic connectit charitas, & in unum qu. fasciculum colligit, tanquam Regina omnium virtutum Christiano dignarum, imò Universa virtus, quicquid â nobis tam prima, quam secunda tabūla Decalogi requirit.

Ἐπανορθω. 1. *Caninam indolem produnt, & ad certissimam perniciem properant, qvicunq; frivolis concertationibus se invicem lacessunt.*

v. 15. *Si vos invicem mordetis & comeditis, videte ne à vobis invicem con-*

consumamini. Nihil enim est quod capitaliori clade cujuscunq; societatis corpus afficiat, quam si intestinis disidiis in mutua viscera sæviatur.

2. Excludunt se regno cæleſti, qvicunq; sive Invidiæ, sive iracundiæ, sive inimicitiæ, sive intemperantiæ sese emancipant.

v. 20. 21. 22.

ABUTUNTUR

I. tum *Libertini & Antinomi,* quorum πρόμαχος *Johannes Agricola* Jsleb. negavit legem Mosaicam in Ecclesiâ docendam; sicuti olim *Simon Magus* salutem definivit per liberationem ab ea servitute, quâ homines ex præscripto legis ad certa opera obligantur, nec permittuntur agere quæ volunt; tum *seditiosi rustici* quidam, qui, Antesignano *Thomâ Müntzero,* tributum solvere Magistratui renuerunt, imò horrendas belli faces in Germaniâ, triplici agmine infestatâ, anno seculi superioris 25. accenderunt, nec revocari ad obedientiam *à Luthero* potuerunt, donec *à Georgio Truchsesio,* Suevici fœderis Duce, unâ æstate ad L. vel, ut alii perhibent, C. millia internecioni traditi fuerint, vers. 1. *In libertate, qvâ Christus vos liberavit, state & nolite iterum jugo servitutis contineri.* Syll. 1. *Homines liberi nullis adstringuntur legibus. Christiani sunt homines liberi. E. 2. Homines liberi nullum tenentur pensitare tributum. Christiani sunt hom. liberi. E.* Ludit autem Syllogismus 1. fallacia *à dicto secundum qvid ad dictum simpliciter.* Limitanda nimirum ex parte Subjecti Major: *Homines liberi* ἁπλῶς, *nullis adstringuntur legibus.* Sic fallit Minor. Fruuntur quidem Christiani libertate insigni, si spectemus legis cujuscunq; maledictionem, coactionem, & rigorem exactionis: neutiquam vero exempti sunt cunctarum simul legum obligationi. Secundus committit fallaciam ὁμωνυμίας, confundendo libertatem *Spiritualem & Civilem.* Hanc innuit Major, illam Minor, & ita 4. emergunt termini. Cum non aboleat Evangeliũ politias, Ecclesiæ hospitia, nec legibus ullis municipalibus, quarum habenis illæ gubernantur, vim ullam infert, modò literarum Sacratio-

cratiorum pandectis non repugnent, quinpotius obsequium subditis, in quolibet legitimo negocio, imperat, Rom. *XIII. 1. I.* Tim. *II. 2. I.* Petr. *II. 13.* ipsamq; tributorum æquitatem clarissimè comprobat, Rom. *XIII. 7.* Matth. *XXII. 21.* Quæ cum consono conspiratu nostrates doceant ad unum omnes, grandi omnino injuria illos afficit *Cornelij â Lapide* ὀλίγον: *Vide ergo, quam contra mentem Apostoli hæc torqueant Novantes, dum volunt Christianos esse liberos ab omni lege positiva, i. e. non debere obedire Prælatis, & Magistratibus, ac conseq. nec parentibus, hoc enim est contra legem naturæ & decalogi, quæ jubet honorari patrem & matrem, estq; evertere omnem politiam;* si per *Novantes Lutheranos*, ut certè videtur, indigitatos cupiat. Etsi enim non agnoscamus Jurisdictionem Prælatorum Pontificiorum; legitimo tamen legitimi Magistratus cultu nulli Romanensi cedimus, sive theoriam spectes, sive praxin. Dic, sodes, cujus unquam *Lutherani* scriptum, sub idem vocari vexillum potuerit vel cum libro *Francisci Soares Jesuitæ*, hunc titulum præ se ferente: *Defensio fidei Catholicæ adversus Anglicanæ Sectæ errores*, in quo publicè docebatur: *Reges & Principes, qui aliam quàm Romanam tolerarent religionem, non solùm ab externo, verum etiam â proprio subdito impune perimi posse:* Ut dignus judicatus fuerit, â Parisiensi Senatu, qui publicè per carnificem Vulcano addiceretur, an. 614. die. 22. Junii, vel cum Tractatu *Martini Becani Jesuitæ*, ejusdem argumenti, idemq; ibidem præmium nacto: vel cum Opere *Marianæ*, de Rege & Regis instituit. Lib. I. cap. 6. 7. & 8. non saltem hæc emblemata ostentante: *Jus fasq; esse subditis, Reges, Principes ve, quibus viri graves & eruditi* (Jesuitæ sc.) *hæreseos crimen impegerint, quacunq; ratione è medio tollere;* verum etiam modum præscribente, quo venenum conficiendum sit, quoque vestibus, chirothecis, gladiorum capulis, & ephippiis illinendum, ut non minus præsens præceps q; exitium sequatur, quam si ferro urgerentur. Edissère, quem unquam Theologum Lutheranum intemperantiæ tantum in furorem egerint, quanto, ad injiciendas violentas manus *Henrico* III. Galliæ Regi, Monachum

nachum *Jacobum Clementem;* ad interficiendum *Henricum* IV. Regem Galliæ, *Johannem Castellanum, & Petrum Barrerium;* ad capitis pœnam decernendam filio unico, unicèq; dilecto, immanem belgii infectationem seriò dolenti, *Philippum* Regem Hispaniarum; ad proscribendum extra imperii fines *Maximilianum* Roman. Regem, quod *Lutheranis* se addicere constituisset, Patrem *Ferdinandum* I. ad glande plumbea trajiciendum *Mauritium,* Auraniæ principem, *Petrum Pannam,* Jesuitas instigasse novimus, è *Thuani* lib. 96. 111. 121. & *Wolff.* lection. memorabi lib. cent. 16. p. 1048.

II. *Pontificij,* pro fide charitate formatâ, cui Justificationem secundam, tanquam complementum primæ, per fidem adhuc informem impetratæ, deputant v. 6. *In Christo Jesu neq; Circumcisio aliquid valet, neq; præputium,* ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη; explicantes verbum ἐνεργουμένη *passivè,* ut fides ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης illis sit fides à Caritate acta & mota, veluti *â formâ* quadam *externâ & adsistente.* Syll. *Quicquid Deo nequit placere nisi dirigatur âCharitate, tanquam â formâ adsistente, id non justificat solum, Charitate exclusâ. Fides nequit Deo plac. nisi dirig. ita à Car. ℰ.* Resp. negando Minorem, inani superstructam commento. Nusquam enim in S. Codice *Passivè,* sed ubiq; *activè* usurpari verbum ἐνεργεῖσθαι, evincunt loca parallela Rom. VII. 5. II. Cor. I. 6. IV. 12. Eph. III. 20. Col. I. 29. I. Thess. II. 13. II. Th. II. 7. Jac. V. 16. Sensus itaq; Oraculi est, probari Deo fidem quæ operatur, vel sese exerit & manifestat per charitatem, ut hinc tanquam â posteriori, & fructibus, optimè agnoscatur: juxta interpretamentum Apostoli ipsius Rom. XIV. *Quicquid non fit ex fide, peccatum est.* Quo sensu etiam legimus Jac. II. 26. *Ut corpus sine Spiritu mortuum est, sic fides sine Operibus mortua est.* Namq; cum unum sit ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων vocabulum Spiritus, tum rectiss. hîc sumitur pro respiratione, è qua, tanquã certissimo signo, vita colligitur, juxta vers. 18. *Ostende mihi fidem ex operibus tuis &c. Fallit* pariter Minor in Syllogismo *Campiani,* quem repetit *Cornelius â Lapide:*

de: Fides quæ valet coram Deo ad justitiam, Deiq; amicitiam, sive in qua est vis & valor justificandi, est illa, teste Apostolo, quæ per charitatem operatur, ideoq; charitati planè unita & conjuncta est. Atqui sola fides justificans, quam statuunt Lutherani, non est fides quæ per charitatem operatur. E. sola fides justificans quam statuunt Lutherani, non est fides quæ coram Deo valet ad justitiam, Deiq; amicitiam. Probatio Minoris: *Præsupponitur enim ab iis* (Lutheranis) *esse sola, ideoq; à charitate sejuncta, in valore justificandi;* confundit *existentiam* fidei *actumq; externum,* vel *effectivum,* cum *formali* ejusdem *officio,* cum tamen duo hæc ipse textus noster quam accuratissimè discernere jubeat. vid. aphor. διδακτ. 2. Existentiam sanè si spectes, nunquam separatur fides â charitate; sed per charitatis opera, ubi ubi occasio emergit, foràs progreditur, seq; manifestat: ideò v. non statim ingreditur charitas *actum* fidei justificantis *internum, & formalem:* multò minus ipsam fidei justificantis *formam* præbet. Si quis ex *Campiani* epistolâ, ad Generalem Societatis ex Angliâ scripta, & Treviris anno 1583. typis evulgatâ, hæc narrante p. 86. *Catholicorum in Anglia conditio gravissima, animis nihil liberum, nihil integrum relinquitur, non vox, non religio, loquendum tibi cum aliis, affirmandum juramento, quod ceteri affirmant, etiamsi animo longè aliter opineris, etiamsi conscientia contrarium planè senseris;* ita colligeret: *Campianus, qui perjurium multiplex commisit, fuit Jesuita. E. multiplex perjurium, est forma, per quam aliquis est Jesuita.* Vel: *Jesuita Garnettus, qui imposturam struxit vitæ Jacobi, Anglorum Regis, fuit suspensus. E. impostura vitæ hujus Regis structa, est forma per quam quis suspenditur, & hunc hæreditatis funiculum reportat;* annon assensum Pontificii cohiberent? Æquè ineptâ verò ἀσυλλογισίᾳ ex hoc oraculo: *Fides quæ per charitatem operatur justificat;* infertur. *E. charitas est forma, per quam fides justificat;* Siquidem ubiq; in antecedente Subjectum describitur non â Caussâ, sed â Caussato; etsi caussata, vel effectus ipsi Jesuitarum, & fidei Justificantis, è diametro maneant, sibi oppositi. Deinde adhuc sub judice lis agitatur: An τὸ *valere in Christo Jesu,* h. l. tantùm significet *justificari propter Christum,*

non connotatâ sanctificatione, ejusq; progressu, ut v. 24. *Qui sunt Christi, crucifixerunt carnem suam cum concupiscentiis:* & cap VI. 15. *In Christo Jesu neq; circumcisio quicquam valet, neq; præputium, sed nova creatura.* Super quæ verba *Salmero* ita commentatur: *Non est sermo de justificandis, sed de vitâ jam justificatorum.* Conf. Joh. XIV. 20. Rom. VIII. 1. II. Cor. V. 17. Gal. II. 20. Eph. IV. 21. Imò non diffiteri videtur *Cornelius*, τὸ *valere in Christo Jesu*, hîc ambitu suo plura complecti, quàm solum Justificationis actum, dum illud reddit, per τὸ *valere in Christianismo*, sicuti *Salmeroni est valere in Evangelio; Justiniano, valere in disciplinâ Christi; Estio, valere in religione Christiana.* Quæ autem apud *Cornelium* sequuntur: *Fides non operatur per charitatem, sicut causa efficiens operatur per instrumentum suum: sed sicut dispositio operatur per formam ad quam disponit: Uti calor per formam ignis dicitur operari ligni inflammationem, lignumq; ignire, & ignem convertere: ita fides per charitatem operatur opera bona, efficiendo sc. actus charitatis Dei & Proximi, ac impetrando actus aliarum virtutum;* quia nullius probationis fulcro nituntur, apertissimæ futilitatis mole corruunt.

ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΕΣ

I. se offert inter v. 5. *Nos Spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus:* & Apoc. XXII. 11. *Qui Justificatur, justificetur adhuc.* Syll. *Quicquid jam actu obtinemus, id minimè adhuc est exspectandum*, quia exspectatio est futurorum. *Justitiam jam actu obtinemus. E.* Resp. per distinctionem inter Justitiæ *possessionem, & revelationem.* De illâ loquitur minor, & ita concedimus arg. totum. Exspectatio n. quam renatis Apost. hîc tribuit, pro objecto habet justitiæ jam impetratæ plenam & glorioſam patefactionem. Ita Rom. VIII. 24. dicimur *Salvi spe*, præcedentib. istis v. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis futurâ gloriâ, quæ in nobis revelabitur.*

II. Inter v. 3. *Testificor omni homini qui circumditur, quod debitor est Universæ legis:* & Rom. VIII. 12. *Debitores sumus, non ut secundum carnem vivamus.* Syll. *Quibuscunq; incumbit debitum vitæ Spiritualis, illi sunt debitores legis. Omnibus hominibus, quam circumcisis, tam in circumcisis,*

tiſis, incumbit debitum vitæ Spirit. E. Reſp. diſtinguendo 1. inter legem *Moralem, & Ceremonialem.* 2. inter vim legis *Directivam, & coercitv. Moralem* quod attinet legem, ejusq; *directivam* vim, cauſſam non dixerimus, quin cum Majori conced. totum. Immunes tamen renati ſunt à *Coactione* legis *Moralis:* ſunt etiam ab *obligatione Ceremonialis,* ut dictum ſupra.

III. inter v. 9. *Modicum fermenti totam maſſam fermentat:* & I. Cor. V. 7. ubi de vitioſis moribus eadem gnome uſurpatur: *Neſcitis qvod modicum fermenti totam maſſam fermentat? expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicuti jam eſtis azymi.* Syll. *Qvicqvid agit de malis moribus vitæ, non eſt trahendum ad falſam doctrinam. Hæc Gnome: Modicum fermenti &c. agit de malis moribus vitæ. E.* Reſp. per limitat. Majoris: Q. agit de malis moribus vitæ *tantùm,* id non eſt trah. ad falſ. doctrinam. Sic corruit Minor. Quemadmodum cum fermento æquè comparatur Doctrina falſa Matt. XVI. 6. *Cavete â fermento Phariſæorum,* hoc eſt *à doctrinâ Phariſæorum & Sadducæorum* v. 11. ac I. Cor. V. 7. impia vita: ita ſui contagione plus ſatis damni utraq; affert.

IV. inter v. 12. *Utinam abſcindantur, qvi perturbant vos;* & Rom. XII. 14. *Benedicite perſeqventibus vos.* Syll. *Qvibuscunq; eſt benedicendum illis non licet maledicere, & imprecari excidium. Hoſtibus eſt benedic. E.* Reſp. per diſt. inter maledictionem ortam *ex odio privato, & profectam è publico legitimoq; zelo.* De priori accipienda Major, & ita conc. totum. Si nobis illata fuerit injuria, ſi noſtræ res detrimenti aliquid ceperint, veniam humana proclivitas ad reciprocam offenſionem poſtulat. Matth. VII. 12. *Qvæcunq; vultis ut vobis homines faciant, & vos facite illis.* Secus autem comparatum, ſi injuria redundet ad Deum, ſive ex hæreſium natâ zizaniis, ſive è vitâ ſcandalo plenâ. Hanc enim cum autoribus ſuis execrari & deteſtari, zeli eſt Divini, maximèq; legitimi, quo ſi inflammentur Perſonæ publicæ, Dei vices his interris gerentes, illarum vox pro decretoriâ Supremi Judicis ſententiâ indubitatò haberi meretur.

V. inter v. 14. *Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum:* & Deut. VI. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex totâ animâ, ex toto corde, & ex omnibus viribus tuis.* Syll. *Quicquid præter Dilectionem proximi requirit Dilectionem Dei, id Dilectione proximi minimè completur. Lex præter Dilect. proximi requirit dilect. Dei. E.* Resp. perficiat. Majoris, siquidem charitas erga proximum neutiquam excludit charitatem erga Deum, sed includit potius & præsupponit, luculentissimoq; indicio patefacit. *Per amorem Dei,* inquit *Gregor. proximi amor gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur.* Nec aliam ob caussam appendix, de præmiis faciendorum, & pœnis fugiendorum, primæ statim Decalogi tabulæ fuit annexa, quàm ut doceremur, observationem tabulæ secundæ ab obedientia tabulæ primæ debitâ, omni ex parte, dependere.

VI. inter v. 21. *Manifesta sunt Opera carnis, &c. de quibus prædixi, quod talia agentes regnum Dei non hæreditabunt:* Et. III. Reg. VIII. 46. *Non est homo qui non peccet;* Necnon Prov. XXIV. 16. *Septies in die cadit justus.* Syll. *Nulli peccatores potiuntur regno cælorum. Omnes homines sunt peccatores. E. nulli hom. potiuntur regno cælorum.* Conclusio est absurda. Agnoscenda proinde videtur falsitas in alterâ præmissarum, cum è præmissis veris legitimè dispositis nonnisi verum inferatur. Quia v. experientia quotidiana affatim comprobat veritatem minoris, suspecta relinquetur Major, quæ est nostri textus. R. distinguendo inter peccatores *pœnitentes, & impœnitentes.* De his loquitur Major, sed cum jacturâ Minoris. Non omnes enim homines in peccatis, quæ sive ex proæresi & destinatâ animi malitiâ, sive ex adnatâ infirmitate commiserunt, perseverant, verum sunt etiam, qui delicta sua tandem agnoscunt & detestãtur, serioq; doloris sensu affecti, & in operum suorum meritis desperantes, respirant in Christo, ac salutem, extra nos quærendam, vera fide in hoc inveniunt, conjunctâ nimirum cum firmo proposito ad meliorem frugem se recipiendi; atq; adeò ad gratiam, quâ prius per peccata

cata exciderunt, deinde per pœnitentiam redeunt Apoc. II. 5. Ezech. XXXIII. 11. 15. 19. imitatione *Davidis* II. Sam. XII. 13. *Manasſis* II. Paral. XXXIII. 19. *Esdræ* IX. 6. 7. & ſeq. *Danielis* IX. 4. 5. *Petri* Matth. XXVI. 75. *Mariæ Magdalenæ* Luc. VII. 50. *Zacchæi* Luc. XIX. 9. & *Publicanorum* complurium cap. XV. 1. Tranſeat quod Prov. XXIV. 16. & additamentum verſionis latinæ IN DIE fons Hebræus neſciat, & συνάφεια textus oſtendat, agi hîc non de lapſu in mala culpæ, ſive peccata, ſed de malis pœnæ, ſeu calamitatibus & ærumnis, quibuscum ita colluctetur Juſtus, vel pius, ut tandem eluctetur, cum impium tragicus & exitialis exitus manere ſoleat. Præcedunt enim proximè iſta: *Non inſidieris, O Impie, habitaculo juſti, nec diripias accubitum ejus.* Fit enim non rarò, ut fortunam indigniſsimam ſubeant homines pietatis obſervantiſsimi, & ære alieno obrutis ædes vendendi neceſsitatem importuni & immites creditores, qui ad aſſem omnia perſolvi cupiunt, imponant. Hujusmodi igitur harpyarum, acciſis puſillisq; facultatibus piorum ſupra quam dici poteſt inhiantium, immiſericordiam perſtringit Salomon, eo argumento, quod paratus Deus ſit clementi oculo pios ſerenare, eorumq; calamitates ac rei familiaris anguſtiam ſublevare: impii ex adverſo, παρανομία tandem fores pulſaturâ, ſeveriſsimam Numinis Nemeſin neutiquam ſint declinaturi.

VII. inter v. 22. *Fructus Spiritus gaudium:* Et Pſalm. LXXIII. 3. 5. *Zelavi ſuper ſtultos pacem peccatorum videns: quia non ſunt in labore hominum, nec cum hominibus flagellantur &c.* Syll. *Nullus fructus Spiritus, eſt bonis & malis communis. Gaudium eſt bonis & malis commune. E.* Reſp. per diſtinct. inter gaudium *Spirituale*, ortum ex reconciliatione noſtrâ cum Deo, fideciaq; gratuitiæ remiſsionis peccatorum, & *ſeclare*, ſitum in voluptatibus corporis. De hoc valet Minor, & nos conced. totum: quandoquidem fructibus Spir. non aliud quam ſpirituale gaudiũ accenſeri meretur. Imò quanquam mali voluptatibus & luſibus oblectentur, parum nihilomi-

nihilominus ab iis differnnt, qui invinculis reservati talorum ludo & genio indulgent, ac interea sibi super capite finem imminentem habent, judice *Plutarcho* in lib. de virt. & vitio.

VIII. inter v. eundem: *Fructus Spiritus est charitas, longanimitas, benignitas, mansuetudo, modestia, castitas:* Et Rom. II. 14. *ethnici φύσει quæ legis sunt faciunt.* Syll. *Quæcunq; virtutes æqvè cadunt in ethnicos ac Christianos, illæ non sunt venditandæ pro fructibus Spir. Sancti. Charitas, castitas, modestia &c. sunt tales virt. E.* Resp. limitando prædicatum Majoris. *Quæc. virt. æqvè cad. in ethnic. ac Christ. illæ non sunt vendit. pro fructib. Spir. S.* in quolibet Subjecto. Sic concedimus arg. totum: Referuntur enim ad effectus Spiritus Sancti virtutes ethicæ, quæ hoc loco commendantur, saltem ex parte *renatorum. Essentiam* quidem si spectemus *specificam* absolutè, inter virtutes morales renatorum & irregenitorum exactè conuenit: differunt autem simul virtutes ethnicorum, & Christianorum, etiam morales, tum *efficiente*, tum *formâ adsistente*, tum *fine*. *Fine*, quia pagani tantùm proprii honoris & gloriæ studio ducuntur: Christiani verò actionum omnium σκόπον σκοπιμώτατον, & τέλος τελευταῖον constituunt Gloriam De I. Cor. X. 31. *Formâ adsistente*, quia actiones virtuosas renatorum moderatur *fides* Rom. XIV. 24. Hebr. XI. 6. irregenitorum sola *Prudentia Civilis, & Justitia Universalis.* *Efficiente*, quia virtutes irregenitorum tantũ proficiscuntur à naturali dictamine rectæ rationis, insitoq; discrimine honestorum & turpium: renatorum autem præterea ortum debent speciali gratiæ Spiritus Sancti. Unde *August.* lib. 15. de Civ. Dei c. 25. *Virtutes* inquit, *nisi ad Deum referantur, non sunt virtutes. Et Hieron. sinè Christo omnis virtus vitium est.*

Cap. VI.

Reſp. J. Segero, Marchiaco.

PArtibus iterum conſtat duabus. Altera continuat *virtutum* Chriſtiano dignarum *catalogum*, altera addit *epiſtolæ* totius *epilogum*. In *priori* commendatur tum *Manſuetudo*, tum *beneficentia*. De *Manſuetudine* ait v. 1. Ἀδελφοὶ, ἐὰν καὶ προλημφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι, ὑμεῖς οἱ πνευματικοὶ καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον ἐν πνεύματι πραότητος, σκοπῶν σεαυτὸν, μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς. Ubi expendenda partim *Propoſitio*, partim *Confirmatio*. In *Propoſitione* obſervare habemus 2. Manſvetudinis *Objectum*, & *Modum*. Pro *Objecto* ſunt I. *homines*, humanæ imbecillitatis aleæ obnoxii, ut non ſtatim infra mortuos amandari debeant, ſi, quam ſemel ingreſſi fuerunt vitæ laudabilis orbitam, non ſemper inoffenſo pede calcent. 2. *Præoccupati*, præter expectationem, abſq; proæreſi, & latà culpà, ut mox ſubſequatur reſipiſcentia. 3. παραπτώματι, errato, quod, ratione etymologias, hìc ſpectandæ, titubante q. pede, aut manu committitur, & in unumquemq; noſtrum cadit. Quà *Modum*, jubemur talem καταρτίζειν, quod propriè eſt membrum luxatum corrigere, & ad naturalem junctura redigere: per Metaphoram verò hìc ad animum translatum, imperat Chriſtianam συγγνωμοσύνην, condonationem & veniam eorum, quæ ab aliis, ſive per ignorantiam, ſive per infirmitatem, fuerunt peccata: Unà cum ſalutari Medicinà admonitionis, & Conſolationis. *Admonitionis*, ne, delicto alicui patrocinium defenſionis adjungendo, peccata peccatis addant, & in miſeriâ ſuâ perſeverent. *Conſolationis*, ut omne perfugium in immensâ Miſericordiâ & φιλανθρωπίᾳ Dei collocent. *Confirmatio* petit argumentum I. à duplici Chriſtianorum *attributo*, quia ſint I. *fratres*, gaudentes communi & in cælis Patre, Deo, & in terris matre, Eccleſiâ, & uno Fratre Primario, Chriſto. 2. *Spirituales*, hoc eſt, Spiritu Dei renati, & ſpirituales Peripati conſortes. II. à *Communi Periculo*, σκοπῶν σεαυτὸν, μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς; mutato numero

mero singulari cum plurali, ne quisquam se exceptione donatum, sed sibi quoq; idem dictum quilibet putet, in se descendat, sensibusq; imis ac finibus excussis, ejusdem fragilitatis societatem humiliter agnoscat. Etsi enim vincamus quandoq;, per Spiritus S. gratiam, tentationes, plenaria tamen à tentationibus immunitas tantò majori cum difficultate conjuncta est, quantò minus illę in nostrà potestate positæ sunt; juxta adagium: *Primi motus non sunt nostri juris:* sive à proprià carne excitentur, sive à Diabolo, inclinationes animorum nostrorum exactissimè perspectas tenente, adeoq; singulis peccandi occasionibus nunquam non invigilante. Quomodo *Achabum*, quem sciebat facultatibus alienis inhiare, instigabat ad internecionem *Nabothi*, ut sub specie quadam recti vineam ejus ad se pertraheret, I. Sam. XXI. *Davidem*, quem noverat libidine inflammatum, impellebat ad cædem *Uriæ*, ut, post illius obitum, nanciscereturcommodius uxorem II. Sam. XII. *Sit* igitur *aliorum lapsus nobis occasio resurgendi*, quod reposuit B. *Ambrosius* Imp. *Theodosio*, præsidium cędi Thessalonicensiũ constituenti in homicidio *Davidis*. Siquidem *non est peccatum*, dicente *Augustino, quod fecit homo, quod non possit facere homo alter, si desit Rector, à quo factus est homo.* Unde rursus Apostolus I. Cor. X. 12. *Qui stat, videat ne cadat.* Et Rom. XI. 20. Μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. III. à *Christi Mandato* v. 2. ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ. Nil magis æquitati consentaneum est, quam ut executioni tradamus mandata Domini, cui nos totos mancipavimus in Baptismo. Hæc verò inter eminet, quod extat Joh. XIII. 34. *Mandatum novum* (promulgatione, & obligatione) *do vobis, ut vos invicem diligatis.* Et Matth. VII. 12. *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Omni proinde virium contentione annitendũ, ut hujus praxis in moribus nostris refulgeat. Quod tunc demum futurum, si in tolerandis nævis mutuas operas fideliter junxerimus, & ignoscendis aliorum erratis æquè faciles nos præstiterimꝰ, ac palliandis nostris ali-

os

os exoptamus. *Oportet Christianos* inquit *Lutherus, habere fortes humeros, & robusta ossa, quæ possint ferre carnem, hoc est, infirmitatem fratrum, quia Paulus dicit, eos habere onera & molestias. Apelles,* in Icone servi, diversa delineaturus munia, non tantùm ei attribuit aures asininas, nares porcinas, ventrem macilentum, pedes cervinos, labra duabus feris clausa, manus omnis generis instrumentis refertas, verum etiam humeros patulos. Efficit autem unumquemque nostrûm servum proximi Charitas. Nemo non igitur sibi convenire, ad ferenda proximi onera, humeros similes arbitretur. Notatu insuper digna sunt, quæ apud *Augustinum* leguntur, Tom. X. homil. 21. & Lib. 83. quæst. q. 71. *Dilectionis officium est invicem onera nostra portare. Sicut enim de cervis nonnulli scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus super invicem portent: ita ut posterior super anteriorem cervice projecta caput collocet. Et quia necesse est unum esse, qui ceteros præcedens non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur; ut lassatus sui capitis onere ille qui præcedit post omnes redeat, & ei succedat, cujus ferebat caput, cum ipse præiret. Ita invicem onera sua portantes fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. Fortasse cervorum naturam intenderat Salomon, cum ait: Cervus amicitiæ & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum: nihil enim sic probat amicum, sicut oneris amici portatio, v. g. iram fratris tui tunc portabis, cum tu adversus eum non iraseris, ut rursus eo tempore quo te ira præoccupaverit, ille te tranquillitate sua supportet. Et item si quis loquacitatem in se vicerit; alius vero adhuc loquax sit, sed jam pertinax non sit; debet ille hujus loquacitatem, & iste illius pertinaciam, donec illud in illo, & hoc in isto sanetur, charitate portare.* IV. à δυσωπίας & ἰυθαδείας damno. v. 3. ἐὰν γὰρ δοκῇ τις εἶναί τι μηδὲν ὢν, ἑαυτὸν φρεναπατᾷ. Hoc est: Si alicujus animo præsumptio illa insideat, tam circumspectè vitæ rationem compositum iri, nullus ut reprehensioni pateat locus, adeoq; fastu & jactantia turgidus non porrigat lapso auxiliatricem dextram, sed ferociter insultet, is extra liram rationis ab-

reptus nondum agnoscit δόξαν suam, ad exemplum *Phariſæorum ſemetipſos juſtificantium coram hominibus*, Luc. XVI. 15. è quorum collegio prodiverat glorioſus ille Thraſo c. XVIII. 11. *Deus*, inquiens, *gratias ago tibi, quod non ſim ſicut cæteri homines.* Depellere autem hanc erroris nebulam valet v. 4. τὸ δὲ ἔργον ἑαυτοῦ δοκιμαζέτω ἕκαστος (actiones ſuas ad præſcriptum Divinæ legis examinet, ſuoq; ſe modulo ac pede metiatur) καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν τὸ καύχημα ἕξει, καὶ οὐκ εἰς τὸν ἕτερον. De quo nimirum Apoſtolus noſter II. Cor. I. 12. *Gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ;* Et Joh. I. cap. IV. 17. *In hoc perfecta eſt Charitas cum nobis, ut fiduciam habeamus in die judicij.* Cujusq; exemplum vivum de ſe profert *Samuel* I. Sam. XII. 3. *Ecce præſto ſum, loqvimini de me coram Domino, & Uncto ejus, num bovem cujusqvam acceperim, aut aſinum:* Nec non *David* Pſ. VII. 9. *Judica me Deus ſecundum juſtitiam meam.* Ratio: ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον φορτίον βαστάσει: hoc eſt, non obaliena, ſed ſua facta in jus quisq; vocabitur. *Beneficentiæ* recenſetur *Objectum* triplex, *generale, ſpeciale, & ſpecialiſſimum. Specialiſſimum* præbent Verbi Divini Præcones, v. 5. κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Nondum Apoſtolorum ætate è publico ærario alebantur Eccleſiæ Doctores, ſed conjectæ à ſingulis fidelibus ſymbolæ, partim domi egentibus, partim Curatoribus animarum deſtinabantur. Quia verò, more obſcuris terræ filiis familiari, nonnulli etiam *Galatarum* mox avaritiæ dicam, cum ſalaria ſua poſtularent, his ſcribebant, in cauſſam detentæ mercedis laborum, opum ſuarum anguſtiam, & illata illis damna multiplicia prætexentes, occurrit huic tacitæ *objectioni* v. 7. Μὴ πλανᾶσθε, θεὸς οὐ μυκτηρίζεται. Homo quidem fumum interdum vendit homini, at in fumum abire oportet, quicquid, ad ſuſpendendum naſo adunco καρδιογνώστην Deum, humana verſutia comminiſcitur. Non ridebit quisquam Deum, ridebit autem ipſe hujusmodi nugamentorum architectos. Accedit inſuper *ratio* tum *ſvaſoria liberalitatis, â Conſequente præmio*, tum *diſſvaſoria prodigalitatis, ab imminente pœnâ.* Colorat verò utramq;

&

& illustrat venusta imago agriculturæ v. 8. ὁ γὰρ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει. ὅτι ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα αὐτοῦ (qui divitias, quas Divina virgula suppeditat, ad luxum & intemperantiam, usus-ve non necessarios convertit) ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν, (extorris regno cælesti, & consortio beatorum.) ὁ δὲ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα, (qui opes, quantum pars virilis eum adjuvat, ad promovendum Egregium Ecclesiæ Publicum, rite erogare mavult) ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον. Perinde ac generosum semen, fundo fertili commissum, largissimo proventu, sedulum colonum exhilarare consvevit. Hinc præoccupatur *objectio* nova, immodicarum & intolerabilium impensarum, ob tantam amplitudinem retributionis. v. 9. τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν. Καιρῷ γὰρ ἰδίῳ θερίσομεν μὴ ἐκλυόμενοι. Quo è fonte πέλαγος illud suapte sponte fluit v. 10. ἄρα οὖν ὡς καιρὸν ἔχομεν, ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθόν. Sicuti Agricolæ admodum curiosè observant tempora arationi, seminationi, occationi, insitioni, pastinationi, pampinationi &c. idonea, juxta *Virgilii* carmen lib. 1. Georgic.

Tam sunt Arcturi sidera nobis
Hædorumq́ dies servandi, & lucidus anguis,
Quam quibus in Patriam ventosa per æquora vectis
Pontus, & Ostriferi fauces tentantur Abydi.

Offert se autem nobis tempus & occasio bene agendi, quamdiu vita prorogatur, rebusq; humanis intersumus. Objectum *generale* largiuntur omnes promiscuè homines: πρὸς πάντας. Quos inter licet digni præferendi sint indignis, ut *beneficium dando accipiat, qvi digno dedit* Sen. lib. de Provid. tamen quandoq; dignitatis vicem sola egestas supplet. Quod cum vel è lumine Naturæ didicisset *Arist.* reprehensus aliquando ab amicis, ob datam homini malo eleemosynam, respondit: se non dedisse ἀνθρώπῳ, ἀλλ' ἀνθρωπότητι, non homini, sed humanæ sorti. Conf. Matth. V. 43. Rom. XII. 20. De objecto *Speciali* additur: μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως: Utpote quos arctioris necessitudinis vinculo attingimus. Nimirum cum Charitas incipi-

at à seipsâ, & deinde demum extra se paulatim progrediatur, tantò magis nos cuiq; obligat, quantò propior cognatio nobis cum illo intercedit. *Hieron.* hic: *B. Johannes Evangelista cum Ephesi moraretur usq; ad ultimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset vocem in plura verba contexere: nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc, filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Johanne sententiam: Quia præceptum Domini est, &, si solum fiat, sufficit.* Epilogus est quinquemembris. Extat hic enim I. *Sollicitudinis Paulinæ comprobatio* v. 11. ἴδετε πηλίκοις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. Erat illud in more Apostolo positum, ut ad calamum epistolas amanuensibus dictaret, &, ubi tandem ad salutis votum perventũ esset, manu propriâ obsignaret: Uti videre est ex calce Rom. XVI. I. Cor. XVI. Col. IV. & II. Thess. III. Hanc autem exarare integram sustinuit, in tesseram singularis affectus, quo vir aliàs tot negociorum fluctibus undiquaq; immersus *Galatas* complectebatur. II. *Scriptorum hactenus recapitulatio*, eaq; partim *explicita*, partim *implicita*. *Explicita*, doctrinæ de Libertate Christiana, cui imposturam Pseudapostoli struebant, ratione adducti geminâ. *Prior* erat *intempestiva meticulositas*, v. 12. ὅσοι θέλουσιν εὐπροσωπῆσαι, (hominibus probari, auram popularem captare, sich wol geberden/ fein anstellen/ tanquam rigidi exactores παρὸ παραδότων traditionum; sicuti argumenta εὐπρόσωπα dicuntur, plausibilia, arridentia, spectatoribus & auditoribus, v.g. si quis coram opulentis mercatoribus myrmeciam divitiarum, in aulis splendorem nataliũm, Athenienſem Athenis magnificè extollat,) ὅσοι ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, μόνον ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ διώκωνται). Indulserant quippe *Augustus & Tiberius* cunctis nationibus, in Romano Imperio, potestatem patriis ritibus legibusq; vivendi. Quicunq; igitur circumcisionem recipiebat, etsi in Christum crederet, pro Judæo habebatur, atque adeò pace ac tranquillitate frueba-

fruebatur. Contrario itinere res Christianorum pessimo locō versabantur, idq; variis de caussis. I. enim à Juramentis usitatis, per genios & fortunas Imperatorum, abhorrebant. 2. Cum de regno Christi mystico, ejusq; reditu ad Judicium extremum verba facerent, rebellionis & ἀπιστίας anquirebantur rei. 3. Leges Imperii fundamentales introductionem novæ religionis prohibebant. 4. Multitudo ingens suspicione Christianos onerabat. 5. subinde sacrificuli ethnici, imminutionem reditum suorum indignati, pecuniis edicta Imper. in Christianorum perniciem impetrabant. 6. experiebantur iniquissimas delationes inimicorum, in spem prædæ erectorum. 7. divulgabantur piacularia quæq; scelera de Christianis, quod promiscuo concubitu uterentur, infantum carne ac sanguine vescerentur, (uti fiebat in Eucharistiâ à *Carpocratianis*) antistitum genitalia adorarent, Magiam, (pro quâ Sacramentorum administrationem venditabant) exercerent, asiniq; caput venerarentur. Unde pictura asininis auribus, altero pede ungulata, librum gestans, & togata, Romæ prostabat, cum hac ἐπιγραφῇ: *DEUS Christianorum Ononychites.* Ratio *posterior est gloriæ cupiditas* v. 13. ἀδὲ γὰρ οἱ περιτμηθέντες, αὐτοὶ νόμον φυλάσσουσιν, ἀλλὰ θέλουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, ἵνα ἐν ὑμετέρᾳ σαρκὶ καυχήσωνται. Jactabant quidem legis Divinæ autoritatem: quia verò ipsi legem non servabant, perfacile erat ad colligendum, non eos duci amore legis, sed vano gloriæ aucupio, quod accessione tot proselytorum, per receptionem Circumcisionis, Judaismi pomœria latius extendissent. Atq; hæc amplificatur ab *Opposito, exemplo Pauli*, v. 14. ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι, εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ. Ut mundus scilicet me habeat pro catharmate, & ego vicissim mundum asperner, tanquam σκύβαλα. Conf. Rom. V. 3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia experientiam, experientia spem, spes autem non confundit.* II. Cor. XII. 5. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Ita crucifigebatur regia *Pharaonis*, cum ille è

Rege

Rege Busyris fieret, *Mosi*, ut *ignominiam populi Dei præferret omnibus thesauris Ægypti* Hebr. XI. 25. Ita etiam animos nostros formatos expetit Salvator Matth. XVI. 24. *Si quis vult post me venire, abneget seipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Amor meus crucifixus est, non mihi placet cibus corruptionis, neq; voluptas vitæ hujus; Panem Dei volo, Panem cœlestem, qui est caro Christi, Christo concrucifixus sum*, ait in Epist. ad Rom. *Ignatius. Implicitè* repetitur articulus de *Justificatione* v. 15. ἐν γὰρ χριστῷ (in Christianismo, & negocio Justificat.) ἰησοῦ οὔτε περιτομή (universus cultus Leviticus circumcisorum Judæorum,) πίσχυει, οὔτε ἀκροβυστία, (potentia, sapientia, opulentia præputiatarum gentium) ἀλλὰ καινὴ κτίσις, homo renatus, Justificatus, renovatus, gratiâq; Spiritus S. rectificatus & in integrum restitutus. III. *Scripturæ Canonicæ deprædicatio.* v. 16. καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς, καὶ ἔλεος, καὶ ἐπὶ τὸν ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ. Quasi dixisset: Illi demum veros Israëlitas se præstant, reconciliationis nostræ cum Deo immensum fructum olim reportaturos, qui Canonem scripturæ θεοπνεύστου curæ sibi cordiq; esse sinunt. *Aretius* hîc annotans: *Mallem legere pro καὶ, ὡς, tanquam, veluti super Israëlem Dei*; temerè sibi Magisterium Scripturæ arrogat, & censoriam virgulam adversus linguam Spiritus S. stringit. IV. *Severa à desertione veritatis dehortatio* v. 17. τοῦ λοιποῦ, κόπους μοὶ μηδεὶς παρεχέτω. Hoc est: Discant aliquando digito labella Pseudapostoli compescere, quibus hucusq; *ille fuit thesaurus in linguâ positus, ut quæstui habuerint male loqui de melioribus*: discatis quoq; vos cautius imposterum mercari, seductores hosce supra pestem fugere, & mihi tam molesto labore in viam veritatis vos revocandi parcere. Ratio: ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ κυρίου ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω. Hoc est: notum, quot quantiq; insectationum nimbi me jam satis superq;, ob intrepidam veritatis Evangelicæ assertionem, exercitum teneant. V. & ultimo *Salutis comprecatio* v. 18. ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν, ἀδελφοὶ, ἀμήν. Quam clausulam Apostolus omnibus suis Epistolis voluit annexam.

APHO-

Διδακτ. I. *Non minus Charitatis Christianæ, quàm Prudentiæ Civilis effectus est,* ἡ συγγνωμοσύνη.

Geminam Prudentiæ prolem Ethici celebrant, εὐβουλίαν, per quam consilia salutaria invenimus, tum pro nobis, tum pro aliis, & γνώμην, moderatum de aliorum dictis & factis judicium, quod ipsum vivis coloribus *Arist.* depingit Lib. VI. ethic. c. 11. consistens in duabus partibus, εὐγνωμοσύνῃ, sive benignâ interpretatione illorum, quæ ab aliis sive fiunt, sive dicuntur, & συγγνωμοσύνῃ, seu æquâ condonatione erratorum ab aliis per ἀῤῥωστίαν quandam commissorum, à quâ se immunem prorsus & alienum nemo putare potest, qui supra Parmenonis suem sapit, nec cerebrum in calcaneis gerit. Christianos autem ad eandem virtutem obligat ratio specialior & validior, beneficiorum spiritualium consortium, & fraternitatis mysticæ vinculum v. 1. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliqvo delicto, vos spirituales instruite hujusmodi in spiritu mansvetudinis.* Siquidem illis non saltem idem est Creator, à quo sunt, eadem materia, è qua sunt, gleba terrestris, eadem forma, per quam sunt, divinæ particula auræ, idem locus, in quo sunt, orbis, eadem, quibus vescuntur, eadem, quibus vestiuntur, eadem, quibus utuntur, omnia, ignis, aër, aqua, terra, & quæcunq; corporum horum q. conjugio procreantur, eademq; mala, quibus affliguntur: verum etiam Idem Deus Pater, amore speciali erga illos propendens, propter filium proprium & unigenitum, eadem Mater mystica, Ecclesia, in quâ renascuntur ex aquâ & spiritu, Idem frater eminentissimus, Christus θεὰν θρωπος, qui non pudori habet nos fratrum titulo salutare Ps. XXII. eadem alimenta, cælestia, corpus & sanguis Domini, eademq; tandem hæreditas, remissio peccatorum, & salus atq; benedictio sempiterna.

2. *Antiqvissimâ consvetudine, per qvæstiones & interrogationes Catecheticas,* πῶτα στοιχεῖα *Christianæ Religionis edisseruntur.*

v. 6. *Communicet* ὁ κατηχούμενος τ λόγον τῷ κατηχοῦντι *in omnibus*

bus bonis. Est v. κατηχεῖν, in latâ significatione, aliquid insonare, ex præposit. κὰτ, & verbo ἠχέω; in strictâ, vivâ voce aliquem informare; in strictissimâ, docere rudimenta Religionis Christianæ. Inde ὁ κατηχῶν, vel κατηχητὴς, notat *præceptorem*, aut *Concionatorem*, qui sive concionibus publicis, sive Institutione privatâ elementa hæc tradit: ὁ κατηχέμενος *auditorem*, cui illa traduntur & inculcantur, ἡ κατήχησις autem ipsùm *informationis* actum, præcipuè per ἀμοιβὰς quæstionum, & responsionum. Eamq; consuetudinem antiquitate insignem esse, atq; jam tempore Apostolorum viguisse, non uno è loco Test. N. liquet. Vid. Luc. I. 4. Act. XVIII. 25. & XXI. 21. Rom. II. 18. I. Cor. IV. 19. Hebr. V. 12. & VI. 1. 2. ubi aliquot doctrinæ cælestis capita ordine recensentur. Hinc deinde factum fuisse, ut Alexandriæ, autore forsan Evangelistâ *Marco*, Ecclesiæ semper adjuncta fuerit schola Theologica, τῆς κατηχήσεως, *Nicephorus* refert Lib. V. cap. 10. Primus autem è venerando Patrum choro *Dionysius* fuit *Corinthius*, qui titulum τῆς κατηχήσεως Orthodoxæ Doctrinæ Scripto publico præfixit, epistolæ nimirum ad Lacedæmonios exaratæ, teste *Niceph.* Lib. IV. c. 8. Idq; seculo II. Cujus vestigiis postea insistens sec. III. *Clemens Alexandrinus* edidit libros ὑποτυπώσεων: *Theophilus*, Libros Institutionum: Origen. περὶ ἀρχῶν: Cyprianus, expositiones symboli. Sec. IV. Publici juris fecit suam Catechesin *Cyrillus Hierosolymitanus* Sec. V. in lucem emisit *Augustinus* librum de catechizandis rudibus, atq; Euchiridon, Librum itidem de dogmatibus Ecclesiasticis, fide ad Petrum, & de verâ Religione. *Gregorius verò Nyssenus* Orationem Catecheticam, quæ dicitur Magna. Seculi VIII. Doctrinam, Libris IV. de Orthodoxâ fide, complexus fuit *Damascenus*, sed errorum complurium accessione limpidos Israëlis fontes sordidantem, donec tandem sectatores *Lombardi, Sententiarij, & Scholastici*, integra corruptelarum plaustra in Ecclesiam invexerint. Ut verius hoc extiterit Augiæ stabulum, quod expurgandum *Luthero* Heroi ipsi reliqverunt, illo, in quo Herculem occupatum Poëtæ memorant.

3. Agno-

3. *Agnoscit certos gradus Charitas proximi.*

v. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Utpote quibus amore ardentiori obligati tenemur, quàm ab Ecclesiæ consortio segregatis. Sicuti & ex ethicis constat, intensiorem amoris gradum postulare naturali vinculo nobis conjunctos, ut parentes, fratres, sorores, cognatos, agnatos, & affines proximos, quàm qui nexu saltem Civili nos attingunt, ut, denegatâ potestate utrisq; opem simul ferendi, illis potius succurrere, quàm his, debeamus.

4. *Norma Controversiarum fidei sola est Scriptura* θεόπνευστος.

v. 16. *Qvicunq; secundum Canonem hunc incesserint, super eos pax, & misericordia, & super Israëlem Dei.* Non caret v. ambiguitate vocabulum *Canonis*, sumptum videlicet modò *propriè*, modò *impropriè*. *Propriè* vel *lineam* notat & funiculum, qui applicatur ad structuram, ne à verà ratione, aut extra debitum ordinem aberret, vel in *trutinâ* partem illam, quæ in medio librilis linguæ consistens aut ęquilibrium ostendit, aut excessum & defectum. *Impropriè* ac *metaphoricè* accipitur pro *legibus*, quarum veluti habenis Resp. prudenter gubernatur, apud *Arist.* II. Polit. 8. Πάντα βέλτιον γίνεσθαι κατὰ νόμον, ἢ κατὰ ἀνθρώπων βούλησιν. οὐ γὰρ ἀσφαλὴς ὁ κανών. Ac tali sensu etiam Scriptura θεόπνευστος Canonica nuncupatur, è Ps. XIX. 5. *In omnem terram exivit* קוּם *linea illorum. Est enim Ecclesia domus Dei viventis* I. Tim. III. cujus ut ædificium ex Deo est, ita architecti sunt Personæ ministerio verbi fulgentes. Ut autem structura hæc, ministerio Sacro, prædicatione Divini verbi, & administratione Sacramentorum, rectè inchoetur, continuetur, & absolvatur, opus est certo Canone, ad quem operarii opus suum conforment. Hujusmodi igitur Canonem Scriptura suppeditat. Huic quicquid concordat, candidè recipiendum, quicquid discordat, intrepidè rejiciendum est. Id quod nobis imperatur eleganti verbo στοιχεῖν. Quemadmodum namq; acies concinno ordine instruitur, exitura in hostem: sic Ecclesia, vestigiis veræ fidei incessura, Rom. IV. ut

munita maneat contra pericula corruptelarum, certo indig et Canone, quo dirigatur, & intra limites suos contineatur. Innuit adhæc egregiam analogiam inter Scripturam, & quod in trutinà facit æquilibrium, *Aug.* Lib. II. de Bapt. c. 6. *Afferamus non stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes: hoc grave, hoc leve est: sed afferamus divinam stateram de Scripturis Sacris, tanquam de thesauris Domini, & in illa quid sit gravius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.* Atq; hoc officium & scopus, de singulis Novi Test. libris, facili negocio probatur, imò ex singulorum ferè librorum penetralibus enitescit. De *Matthæo* Euseb. scribit Lib. III. c. 24. *Matthæus cum primùm Ebræis prædicasset, & jam ad alios quoq; transiturus erat, Evangelium suum patrio sermone literis tradidit, & quod subtracta sua præsentia desiderare possent illi, à quibus discedebat, per literas adimplevit.* Ut etiam hoc modo in rem conferretur mandatum Salvatoris Matth. ult. μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. De *Marco*, epitomatore Matthæi, iterum *Euseb.* Lib. I. c. 15. *Cum Evangelium in occidentem venisset, tantus pietatis splendor mentibus illorum, qui Petrum audierant, illuxit, ut non possent contenti esse non scriptâ divinæ prædicationis doctrinâ, aut in iis, quæ sine scripto de divino verbo didicissent, permanere: sed Marcum magnâ animorum contentione obtestati sunt, ut commentarios ejus doctrinæ, quam verbo sine scripto traditam accepissent, literis comprehensam ipsis relinqueret.* Lucas historiæ suæ occasionem ipse exprimit, subingressum cap. I. *Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem rerum quæ in nobis impletæ sunt; sicut tradiderunt nobis ab initio, qui ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assecuto altius omnia diligenter secundum ordinem tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, περὶ ὧν κατηχήθης, τὴν ἀσφάλειαν.* Quod pariter extendendum ad partem alteram Narrationis historicæ, hoc est, Acta Apostolica. Sic *Johannes* finem suæ scriptionis indigitat sub calcem cap. XX. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Jesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Idem sibi testimoni-

stimonium perhibet Epist. ad Rom. I. 11. *Desidero vos videre, ut aliquod vobis impertiar donum spirituale εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς, hoc est, ut communem capiam consolationem in vobis, per eam quæ invicem est fidem vestram atq; meam.* Collato XV. 15. *Audacius scripsi vobis, tanquam ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς*, vicem vivi alloquii literis suppleturus. I. Cor. I. 11. 12. *Significatum est mihi de vobis, quod contentiones inter vos sunt, quod Unusquisq; vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollinis, ego verò Cephæ, ego autem Christi.* Et III. 11. 12. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, Uniuscujusq; opus manifestum fiet.* Nec non X. 11. 12. *Hæc omnia scripta sunt ad admonitionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt. Ut qui stat, videat ne cadat* II. Cor. I. 13. *Non alia scribimus vobis, quàm quæ legitis & cognoscitis.* Et X. 11. *Quales sumus verbo per epistolam absentes, tales & præsentes opere.* Ephes. II. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* III. 3. *Secundum revelationem notum factum est mihi mysterium, sicut προέγραψα ἐν ὀλίγῳ.* IV. 4. *Ne circumferamur omni vento doctrinæ.* Phil III. 1. *Eadem scribere mihi non est ὀκνηρὸν, vobis autem ἀσφαλές.* Col. II. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum.* I. Thess. V. 19. *πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε*, II. Thes. II. 2. *Ne dimoveamini à sensu, neq; terreamini neq; per Spiritum, neq; per sermonem, neq; per epistolam, tanquam per nos, quasi instet dies Domini.* I. Tim. III. 14. 15. *Hæc tibi scribo, sperans venire ad te cito. Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia DEI vivi, columna & firmamentum veritatis.* II. Tim. I. 13. *ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων.* & III. 15. 16. *A puero sacras literas nosti, quæ te possunt σοφίσαι ad salutem. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος.* Hebr. VI. 1. *ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα.* XIII. 8. *Doctrinis variis & peregrinis ne circumferamini.* Jac. I. 21. *Suscipite in mansuetudine τὸν ἔμφυτον λόγον,*

qvi poteſt ſalvare animas veſtras. I. Pet. V. 12. *Chariſſimi, nolite peregrinari in fervore qvi ad tentationem vobis fit, qvaſi novi aliqvid contingat.* II. Pet. I. 15. *Studebo ſingulatim habere vos, ut poſt meum obitum, horum memoriam faciatis.* Et 19. *Habemus firmiorem ſermonem Propheticum, cui benefacitis attendentes, qvaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris &c.* I. Joh. I. 1. *Qvod fuit ab initio, qvod audivimus, qvod vidimus oculis noſtris, qvod ſpectavimus, & manus noſtræ contrectaverunt, de verbo vitæ, teſtamur & annunciamus vobis.* Et V. 13. *Hæc ſcripſi vobis credentibus in nomen filij DEI, ut ſciatis qvod vitam æternam habetis.* II. 10. *Si qvis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dicatis.* Judæ 3. 4. *Omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis. Subintroierunt enim qvidam homines impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam.* Deniq; Apocalypſis cap. XXII. 18. 19. *Siqvis apposuerit adhæc, apponet ſuper illum Deus ſeptem plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi qvis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de Civitate ſancta.*

Ἔλεγκτ. *Spirituales ſunt, diciq; merentur, qvotqvot nefas putant Chriſtianos ſe præſtare* μέχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ τοῦ πράττειν.

In papatu ſoli Eccleſiaſtici ſplendidam *Spiritualium* appellationem ſibi reſervant, politicis ad unum omnibus vel *laicorum*, vel *ſecularium* nomen impingentes, cum κατ' ἐξοχὴν πνεῦμα Pontificem Pompificem, Cardinales carnales, Prælatos elatos, Jeſuitas Eſavitas & Jebuſitas plus ſatis experiamur. Aſt Apoſtolo Spirituales ſunt, quotquot vitam ſpiritualem degunt v. 1. *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo aliqvo delicto, vos Spirituales inſtruite hujusmodi Spiritu lenitatis;* collato cum v. ult. cap. præcedentis. *Si vivimus Spiritu, & Spiritu ambulemus:* vel *qvicunq; Spiritu Dei ducuntur* Rom. VIII. 9. Sicuti I. Cor. II. *Spiritualis* opponitur *carnali, & hic* quemvis *irregenitum, ille* quemlibet *renatum* deſignat. Conf. Joh. III. 6. I. Cor. III. 16. & VI. 16. I. Pet. II. 5.

2. *Obſervationem denuò meretur diſcrimen graduale peccatorum.*

Quædam

Quædam enim peccata perpetrantur ἐκ προαιρέσεως, à scientibus & volentibus, vastantia conscientiam, & excutientia gratiam Dei ac Spiritum Sanctum, ideoq; graviora sunt: quædam committuntur ἐκ προλήψεως, sive per ignorantiam, sive vi subitaneorum motuum, & mox comitem sortiuntur resipiscentiam, atq; adeò leviora existunt v. 1. *fratres*, ἐὰν καὶ προληφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι &c. Nimirum ut Medici distinguunt inter πάθος, primam impressionem morbi, & πάθημα, eruptionem illius in nervos; v. g. in febribus obnoxium esse calori febrili, πάθος dicunt, exæstuante autem & se validius exerente calore, πάθημα ægro tribuunt: ita nulli parcit, sed quotidianæ incursationis est τὰ πάθη peccatorum; etsi cohibeatur quandoq; τὸ πάθημα, peccatum capitale, & regnans, quod non venia castigationis, sed pœna damnationis dispungit. *Hieronymus* insuper autumat distinctos peccatorum gradus indigitari distinctis vocibus τῆς ἁμαρτίας, & παραπτώματος, etiam absolute positis, super cap. II. Ephes. *Quærimus*, inquiens *quid interfit inter* παραπτώματα, & ἁμαρτίας. *Ajunt autem quod* παραπτώματα *quasi initia peccatorum sint, cum cogitatio tacita subrepsit, necdum tamen nos impulit ad ruinam:* ἁμαρτίαν *vero esse, cum quid opere consummatum pervenit ad finem.* Eundem in sensum *Origeni* παραπτώματα sunt, *quæ per negligentiam, vel incogitantiam admittuntur;* ἁμαρτίαι, *quas quis sciens volensq; committit.* Cum autem jam *Erasmus* observarit, nomina hæc tum Rom. V. tum alibi indifferenter usurpari, tanquam ἰσοδυναμοῦντα, acquiescimus argumento reali, quod depromptum à caussâ efficiente textus noster insinuat. Contra *Jovinianum, & Stoicos.*

3. Salaria sua verbi Divini prædones jure optimo exigunt.

v. 6. *Communicet, qui catechizatur verbo, ei qui catechizat in omnibus bonis.* Cui consonat Oraculum Matth. X. 10. I. Tim. V. 18. *Dignus est operarius mercede suâ.* Et I. Cor. XI. 7. *Quis militat propriis stipendiis? 13. 14. Nescitis quod qui in sacrario operantur, de sacrario edunt? & qui altari serviunt, altari comparticipant? Ita & Dominus ordinavit*

iis

iis qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere. Quotumquemq; autem admiratione non compleat amplitudo redituum & stipendiorum, quibus Ministerium olim Test. V. beavit? Destinatæ illi erant, præter tot urbes, agros, & pecora campi, decimæ, primitiæ, nec non redemptiones primogenitorum, & accidentalia, ut vocant, propè innumera, annua, menstrua, hebdomadalia, diaria, horaria, ad tot auri tonnas se extendentia, ut non absre dubitet Celeberr. Dn. D. WALTHER. in Offic. Bibl. p. 827. *Utrum in Universâ Europâ tantum hodie tribuatur omnibus verè Ecclesiasticis, exceptis partim Episcopatibus & Canonicatibus, quorum bona Politici principes, sub personâ & Nomine Ecclesiastico sibi inde ab atavis & tritavis, vendicarunt, partim cœnobiis & claustris Monachorum ac Monialium, & Jesuitarum Collegiis, in quibus educantur examina hominum, solo clericali nomine dealbatorum.* Contra *Anabaptistas.*

Παρεμνετ. *Decet igitur unumquemq; Auditorem prompto paratoq; animo illa persolvere.*

Ex eodem loco, ut & v. 9. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim proprio metemus non elanguentes.*

Παρακλητ. *Ad patientiæ anchoram tantò constantius adhærescere possunt, in quibuscunq; adversitatibus, Christiani, quantò majori gloriæ crux illorum est.*

Pertinet enim ad stigmata Christi v. 17. *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto:* & ornamenta vexilli, quod Ecclesiæ his in terris militanti præfertur. Quamobrem II. Cor. XI. & XIV. totus in eo *Paulus* est, ut in singula argumenta gloriæ, & necessariæ apologiæ, adversus Pseudapostolos, singulas vertat afflictiones, Ecclesiæ bono susceptas, quarum seriem ibidem recenset satis prolixam.

Ἐπανορθωτ. 1. *Multiplicem cladem affert ἡ ἀυθάδεια.*

v. 3. *Si quis existimat, se esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit.* Exemplo olim fuerunt *Pharisæi*, quos & Sapientiâ verâ inanis δοκησσοφία, & verâ justitiâ æternaq; salute fallax propriæ Sanctitatis persuasio excludebat, Joh. IX. 41. *Si essetis cæci*, (in genuâ

nuà confesſione) *non haberetis peccatum: nunc verò quia dicitis: Videmus; peccatum veſtrum manet.*

2. *Ineptos Ariſtarchos ſe exhibent, qui in aliorum factis lyncei ſunt, in propriis autem talpâ cæciores.*

v. 4. *Unusquisq; opus ſuum probet, & tunc in ſemetipſo gloriam habebit, & non in alio.* Cui ſuccinit *Poëta:*

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutè.

Et *Anshelmus* ſuper noſtrum textum Tom. 2. f. 321. *Cum diſplicet ex alienà infirmitate, quod conſpicis, penſa quod es, ut increpationis Zelo ſe Spiritus temperet, dum ſibi quoq; quod increpat timet. Cuncti quippe, quousq; in hac mortali carne ſubſiſtimus, corruptionis noſtræ infirmitatibus ſubjacemus; Ex ſe ergo debet quisq; colligere, qualiter alienæ imbecillitati oporteat miſereri, ne contra infirmitatem proximi, ſi ad increpationis vocem vehementius rapitur, oblitus ſui eſſe videatur.*

ABUTUNTUR

I. *Calviniani* pro *ſyncretiſſimo*, v. 1. *Fratres, ſi præoccupatus homo fuerit aliquo delicto, vos Spirituales inſtruite hujusmodi Spiritu manſuetudinis.* Syll. *Si inſtaurandi ſint Spiritu manſuetudinis lapſi fratres, utiq; nec condemnari debent, ob unam & alteram diſſenſionem, Calviniani. At verum prius. E. & poſterius.* Reſp. per diſtinct. inter *Calvinianos* errantes ex *infirmitate judicii*, & diſſentientes à nobis *deſtinatà malitiâ animi; ſeductos, & ſeductores; corrigibiles, & incorrigibiles.* De priorib⁹ Major & arg. totũ conceditur Secus autem judicandum de poſterioribus, ſeductoribus malitioſis, & pertinacibus. *Sacramentarij*, inquit hic *Lutherus, accuſant nos eſſe pertinaces, qui ne pilo quidem eis cedere, neq; ferre errorem ipſorum (quanquam hunc nolint apertè fateri) multo minus Spiritu lenitatis eos arguere & reficere velimus. Sed facile poſſumus illius injuriæ oblivi ſci, & eos ſuſcipere ac Spiritu manſuetudinis inſtaurare, ſi modò redirent in viam, & recto ordine nobiscum incederent, hoc eſt, ſi piè de Cœnà Domini & aliis Chriſtianæ doctrinæ articulis ſentirent ac docerent, ac unanimi conſenſu nobiscum non ſuas opiniones,*

sed Christum prædicarent, ut glorificaretur filius Dei per nos, & per ipsum Pater. Quod autem solùm amplificant charitatem & Concordiam, & Caussam Sacramentariam extenuant, q. levis momenti res sit, quomodocunq; de Eucharistiâ à Christo Domino nostro institutâ sentiamus, hoc nobis non est ferendum. Sed quantum ipsi Concordiam vitæ prædicaverint, tantum nos prædicare debemus Concordiam doctrinæ & fidei. Nam si hanc amiseris, Christum amisisti, illo amisso, nihil proderit tibi charitas.

II. *Tatiani,* contra *conjugium,* v. 8. *Qui seminat in carne, metet corruptionem. In carne autem seminat qui uxore suâ utitur. E. qui uxore suâ utitur, corruptionem metet.* Resp. *Hieronymus* negando minorem I. *quia Paulus non dicit qui seminat in carne, sed in carne suâ. Nemo autem seminat in carne suâ, quia nemo secum ipse concumbit. Deinde quia seminare in carne hîc non sit Apostolo uxore uti, sed ad carnis opera sine Spiritu facultates suas conferre.* Non ineptè quidem prorsus, sed ita tamen, ut ipse refutet, tum ratione posteriori, quod paulò ante scripserat, de ἀδυναμίᾳ seminandi in suâ carne, simulq; modum, quo id fieri possit, exprimat, illegitimam scil. erogationem facultatum; tum responsione totâ, παρερμηνείαν Oraculi Rom. VIII. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt,* quâ illud, in Dissertatione contra *Jovinianum,* bis de Conjugio explicat.

III. *Pontificij*, pro σταυρολατρείᾳ, seu religiosâ adoratione reliquiarum crucis. v. 14. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Syll. *In quocunq; est unicè gloriandum, id etiam religiosâ licet adoratione venerari. In cruce Christi unicè est gloriandum. E.* Resp. committi fallaciam *æquivocationis,* cum vox *crucis* aliter sumatur in Minori, aliter in Conclusione. In Conclusione quidem propriè, & materialiter, pro ligno illo cui affixus Salvator fuit, & cujus ἐκτυπώμα hac consecrare precationis formulâ, superstitione plenissimâ, consueverunt: *Rogamus Te, sempiterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis, ut omnibus hîc genu flectentibus & Majestati Tuæ supplicantibus cordis compunctio, & admissorum*

conceda-

concedatur remissio. Item: *Sanctificetur illud lignum crucis, ut orantes inclinantesq; se propter Deum ante istam crucem inveniant corporis & animæ sanitatem.* In Minori autem metonymicè, pro passione ac morte, quam in ligno pro nobis Christus sustinuit. Quo sensu *Chrysost.* ait: *Crux nobis totius beatitudinis caussa est.* Ac iterum: *Crux spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, devictio diaboli.* Transeat falsitas Majoris, manifestior longè, quam quæ operosâ confutatione indigeat.

IV. Iidem, *pro monachatu suo,* v. eodem: *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Syll. *Per quodcunq; nobis mundus crucifigitur, id nos in summo perfectionis statu collocat. Per Monachatum mundus nobis crucifig. E.* Resp. per inficiat. Minoris. Quicquid enim datur deliciarum & voluptatis in Mundo, non minus in Monasteriis reperitur, quàm locis aliis, imò vix quicquam in Monasteriis Pontificiis quæritur, præter iners ocium, & opimas culinas. Pleriq; sanè Apostoli, ut expeditius globum terrenum luce Evangelii collustrarent, conjugio abstinuerunt. Nec minima Sanctorum virorum multitudo fuit, qui exortis publicarum persecutionum nimbis, ut tranquillioris vitæ recessu potirentur, in eremias se contulerunt. Nulli autem, si ab hæreticis abeas, vel condemnarunt conjugium, vel meritorium æternæ vitæ cælibatum finxerunt, *Encratitas* puto, *Hierarchitas, Manichæos, Apostolicos,* vel potius *Apostaticos.*

V. Pro *flagellationibus Monasticis* v. 17. *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Syll. *Quæcunq; commendat exemplum Pauli, non sunt improbanda. Stigmata Monastica commendat exempl. Pauli. E.* Resp. rursus negando Minorem. Differunt tota diametro stigmata *Pauli, & Monachorum Papisticorum,* sive *qvidditas* spectetur *specifica,* sive *caussa efficiens,* sive *Circumstantia temporis,* sive *finis.* Si *qvidditas,* erant stigmata *Paulina* horrendæ persecutiones, *Monastica* sunt vesanæ stolidæq; flagellationes. Si *efficiens,* infligebantur stigmata *Paulina* ab aliis, *Monastica* suscipiuntur sponte

ab hisce monstris hominum ipsis. Si *circumstantia temporis*, erant *stigmata Pauli* quotidiana, *Monachorum* sunt ad dies statos restricta. *Si finis*, præbebant stigmata *Pauli* testimonium veræ doctrinæ, *Monastici* affingitur merirum vitæ æternæ.

VI. Pro *Stigmatibus Francisci*, versu eodem. Syll. *Quicquid perpessus fuit Paulus, idem pati decuit Franciscum. Stigmata Christi perpessus fuit Paulus. E.* Resp. per dist. inter stigmata Christi *vera, & ficta.* De *illis*, hoc est, afflictionibus variis, pio homini hac in vitâ subeundis, conced. Majorem, & arg. totum, è II. Tim. III. 12. *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* A page verò stolidissimam præposteritatem fabellarum Papisticarum de stigmatibus, quæ *Francisco*, in ecstasin abrepto, arctissimèq; cum corpore Christi collisо, ab hoc fuisse impacta perhibent, & iisdem quidem locis, quibus illa prius corpore suo Christus exceperat. Audiamus *Bonaventuram* c. 13. vitæ S. Franciscі hæc narrantem: *S. Franciscus ab angelo Seraphino crucifixum alis suis continente, Christi crucifixi stigmata, i. e. clavos per pedes & manus, vulnusq; lateris instar Christi accepit, quia totus in Christi crucifixi amorem, imitationem, & obsequium transire gestiebat. Erant hi clavi non è ferro, sed è carne mortuâ calli, instar clavorum, capite scil. crassiore exstante, & cuspide acuta interius reflexa, qui S. virum ita cruciabant, ut vix incedere posset: sicut nos torquent in incessu calli pedum è carne mortificata.* Unde *Franciscum* tanquam *Jesum typicum* venerantur, omnibusq; Apostolis anteponunt. Hujusmodi enim stigmata inferre è stigmatibus *Paulinis* annon est vehementer ineptire, & grandem mentis evagationem pati? Credat etiam *Bonaventuræ* Judæus Apella, & quisquis credere avet sive præceptori ejus, *Alexandro ab Ales, in hoc Adamum non peccasse;* sive autori *Conformitatum Francisci*, hunc in lucem jam jam editum adeò tremuisse impia tartara, ut omnes pantocriticum illuxisse diem opinati fuerint, & *Lucifer*, cui postea *Franciscus* in cœlo successerit, nuncium ablegarit in orbem, ad percontationem faciendam, quid

ageretur

ageretus novi, referentem postea, natum esse *Franciscum*, universi regni tartarei ostia ingenti clade pulsaturum; ac proinde vi quadam extortum fuisse spiritibus malignis testimonium, quantum in virum is olim evasurus esset: *Francisco* itidem concionanti, suspensis & substrictis auribus, pisces pariter & aves auscultasse: *Franciscum* aliquando tanto fervore Spiritus fuisse inflammatum, ut ex latè diducto oris hiatu egressus afflatus *Maffeum* in sublime rapuerit, & hastæ longitudine propulerit: *Franciscum* alio tempore σύνδειπνον egisse apud amicum, & de capone, quem comedendum ipsi obtulerit hospes, portionem aliquam tradidisse mendico; proximâ die, cum pro rostris *Franciscus* diceret, mendicum hunc Sanctitatem *Francisci* in dubium coram concione vocasse, quod pridie illum capone vesci vidisset, & in ejus rei tesseram adhuc pars quædam sibi tunc porrecta supereresset; sed illam è sinu prolatam repentinâ metaporphosi transiviisse in piscem, adeoq; honorem *Francisci* mansisse illibatum; & quicquid præterea fictis fabulis de *Francisco* traditur. *Cornelio à Lapide* religio quidem est derogare fidem *Bonaventuræ*, quod *stigmata in Francisci corpore mortuo propriis oculis conspexerit Alexander IV. Pontifex*, à cujus scil. infallibilitate, quamdiu pontificatum gesit, salus Ecclesiæ pendit; indeq; *facescere* is jubet *impiam Bezæ blasphemiam, qui hoc loco S. Franciscum hisce stigmatibus notatum vocet horrendum stigmaticum idolum, idque falsum & confictum:* attamen nobiscum agnoscit ἀντιλογισίαν sociennorum: *Verum*, addens, *de hisce stigmatibus non loquitur hic Paulus, nec constat talia, qualia S. Franciscus habuit, in Paulo fuisse; imò illa ejus itinera & labores valdè impedivissent. Unde nec imagines Pauli antiquissimæ ea nobis exhibent. Imò Sixtus IV. in bulla quadam, quam refert Henricus Sedulius in Notis ad vitam S. Francisci, vetuit sub pœna excommunicationis, ne quis Sanctum alium quam S. Franciscum pingat cum 5. stigmatibus: qui tamen è S. Dominici familia ediderunt vitam S. Catharinæ Senensis per imagines expressam, asserunt postea Pium V. con-*

cessisse,

cesſiſſe, ut & S. Catharina Senenſis cum iisdem pingatur. Nixum videl. eodem documento, quo Papiſtæ ſciunt, Chriſtum *Catharinæ Senenſi* cor exemiſſe, & reddidiſſe ſuum, cicatrice in latere relictâ; poſtquam illam ſibi in viſione deſponſaſſet, præſentibus *Mariâ, Johanne, Paulo, & Dominico*, de cujus familia illa fuit, *Davide* interim citharam pulſante.

ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΕΣ

I. datur inter verſ. 12. *Qvicunq; volunt placere in carne cogunt vos circumcidi*: & Deut. XXX. 6. *Circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor ſemnis tui, ut diligas Dominum DEUM tuum ex toto corde, & in totâ animâ, ut poſſis vivere.* Siquidem promisſionis hujus prorſus Evangelicæ eventus diſertè refertur ad Teſt. Novum Rom. X. Syll. *Qvicqvid fidelibus Teſt. N. ceu ſpeciale χάρισμα, Deus promittit, ob ejꝰ exactionem nemo eſt culpandus. Circumciſionem fidelibus T. N. ceu ſpec. χάρισμα, Deus promittit. E.* Reſp. Apoſtolus ipſe per diſtinctionem inter Circumciſionem *cordis, & carnis; Spiritualem, & corporalem; iternam, & externam.* Rom. II. 29. *Non qvi in manifeſto, Judæus eſt, neqve qvæ in manifeſto, in carne, circumciſio eſt. Sed qvi in abſcondito, Judæus: & Circumciſio cordis in Spiritu, non literâ, cujus laus non ex hominibus, ſed ex eo.* De *piori* nimirum valet Minor, ſimulq; arg. totum: ſed ſalvo noſtro textu, improbante ſaltem importunam flagitationem Circumciſionis *externæ & corporalis*, tanquam à conditione novi fœderis alienam.

II, inter

II. inter v. 17. *Nemo mihi κόπους exhibeat:* & I. Cor. XV. 58. *ὁ κόπος ἡμῶν non est inanis in Domino.* Syll. *Quicquid multum affert emolumenti, non est deprecandum. Labor Apostoli multum aff. emolumenti. E.* Resp. distinguendo inter laborem *necessarium, & supervacaneum.* De *illo* loquitur Minor, & nos conced. argumentum. Etsi autem Curatores animarum nullum subterfugere laborem debeant, ad promovendam gloriam DEI, & salutem Ecclesiæ necessarium; cavendum tamen auditoribus, ne superfluis & immodicis molestiis illos onerent, adeoque ingemiscendi necessitatem imponant Hebr. XIII. 17.

III inter v. 14. *In CHRISTO JESU neque circumcisio aliquid valet, nnque præputium, sed nova Creatura:* Et Gen. II. 3. *benedixit DEUS septimo diei, quia in ipso cessavit ab omni opere suo quod creavit.* Syll. *Quicquid pridem cessavit, id nequit etiamnum vigere. Creatio pridem cessavit. E.* Resp. per distinct. inter Creationem *Primam, & Secundam; Propriè* sic dictam, & *Metaphoricam.* De *priori*, quæ pro termino habet Substantiam, intelligenda Minor est, & ita conced. totum. *Nova* enim *Creatura*, quæ sola grata DEO & accepta dicitur in CHRISTO, effectus est Creationis *Secundæ*, vel *Metaphoricæ*, quæ terminatur in qualitate, nec aliud quicquã notat, quàm renovationem, & virium humanarum rectificationem.

TANTUM.

Fr. Reppien,
Buchbinder
in
ROSTOCK
bey der Marien-Kirche.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78807136X/phys_0249
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78807136X/phys_0250
DFG

…aid *Philippus*, quid *Thomas*, quid alius quispiam …omini dixisset, si in quempiam illorum audi…, tandem præter expectationem, ξένας διδασκα…άτινα arripuerit. Uberiorem fructum lau…rum gentium constantia, quæ ad præconi…væ aures illicò clauserunt. Vacuas autem …delinificis Syrenũ cantilenis accommodare …seipsum beatitudinis cœlestis portu exclu-

…I. *Execranda est omnis* πανουργία.

…quidem nitore gaudet veræ prudentiæ gem…a & à Salvatore Matth. X. 16. *Estote prudentes*, …*Paulo* I. Cor. X. 15. *Ut prudentibus loquor.* Sed …*vitium specie virtutis & umbra.*

…e *Cic.* in partit. *Discernenda diligenter sunt, ne …æ virtutem videntur imitari: nam prudentiam ver…audacia, liberalitatem effusio imitatur; & patien…nis, & justitiam acerbitas, & Religionem superstitio, …es animi, & verecundiam timiditas.* Prudentiæ …gere actiones bonas ad bonum scopum, per …commodationem ad præsentes circumstan…is, & personarum. Ἀδύνατον igitur φρόνιμον …v. Ar. lib. VI. ethic. c. 13. Versutia verò ex…li scopi intentione, damni videl. & perniciei …έαν τῆς πλάνης. Cujusmodi planetas terre…uis cupiat, adeat *Romanenses*, *Sacramentarios*, …*tistas*, humilitatem & sanctimoniam Angeli… mentientes, & χρηστολογίας atque εὐλογίας su…beritis objicientes; atque adeò non minùs …*is justitiæ se gerentes*, ac Dominus illorum, *Ca…rmare novit in Angelum lucis*, II. Cor. XI. 14.